



EFFIGIES CONTRACTA ROBERTI FLVD.

In lucem producente I. à S. Iusto Theologo Segusiano.

Agnitio vultus eorum respondebit eis. Isa. 3.





LVTETIÆ,
Apud GVILLIELMVM BAVDRY,
viâ Amygdalinâ, propè Collegium
Grassinorum.


M. DC. XXXVI.

PROGRAMMA FLVDANVM
ex Isaiæ 5.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, &c.

Antiprogramma ex Psalmo 49.

Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.
Os tuum abundauit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos, &c.





CLARISSIMO VIRO D.


D. DOZAMO

COMITIORVM TECTOSAGVM
Fideliſſimo Commentarienſi S. P. D.
I. à S. Iuſto Theologus.



VAM *vides pro veritate Catholica Defenſionem*, Vir eruditiſſime, *ſi probaueris, erecto capite petit Angliam quam facilè ſim electurus in Iudicem litis & cauſæ, quâ fieri nequit vt cadamus, niſi libertas ipſa perierit, atque iis omnino ſpoliemur dotibus, quæ Dei nobis imprimunt imaginem, & ipſius ſacroſanctæ Trinitatis charactere mentes noſtras*

exornant. Hanc igitur è nostris manibus eâ fronte, eóq; animo excipies, quibus illam tuo Nomine cohonestamus, aliàs maiora, si Deus dederit, suscepturus. Nullus verò dubito, quin istã cum veritatis tum falsitatis Effigiem libentissimè perlegas, cùm eam scripserim, vt ostendam quanto iure vir ille, quem audio te tanti facere, aduersus armigeri dogmata, & errores, hoc præsertim sæculo propemodum incredibiles, insurrexerit. Hoc igitur Opusculum Nomini tuo nuncupatum, meæ ergà te propensionis symbolum esse velim, quandiu Deum veneror te bonis litteris seruet incolumem.



ANTELOQVIVM.



LIQVOT ab hinc annis, dum Lugduni degerem, consultus ab ingenuo adolescente, num Robertus Flud esset orthodoxus, ego, qui nihil de tali auctore audiueram, afferri ad me librum curaui, qui titulum historiæ Macrocosmi præferebat, viso nomine auctoris Oxoniensis hominem esse professionis Lutheranæ suspicatus sum: sed an esset de numero illorum Medicorum, quorum a tituli remedia habent, pixides venena, vt ait Seneca apud Lactantium, non detexi, donec peruolutâ historia Physicâ, eius doctrina mihi visa est sapere Manichæismum, qui, vt ait b Serapion, est extrema impietatis abortio, quæ omnes aliorum improbitates exterminauit, & in profundis posuit. Cùm autem talis liber repeteretur, bibliopolam adiui, & inter alia opera Fludi reperi illud, quo certamen indicit Marino Mersenno viro de

a 5. inst. c. 15

b to 4. Bibliotecha Patrū.

Republ. literaria meritissimo, quantumuis cum spernat Fludus, qui vtpotè Pythecium nõnisi propria æstimat, [c] *Aiunt enim simias intentis oculis in catulos, postquam pepererunt, tanquam sacras imagines intueri admirantes ob pulchritudinem: vsque adeo natura liberos amat: fœtus autem aliarum simiarum quales sunt, cernunt.*

c Synes. ep. 1.

Dubius hæsi an responderem stulto secundùm stultitiam suam, quod æquum est. [d] eleganter enim (si paulisper iocari licet cum Io. Grammatico dicto Philopono in Procli argumenta de mundi æternitate) sapienti Homero dictum est,

d ad 5. c. 1.

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse:

vel quod idem est, cum sene ioculario Abderitano, nempe Democrito apud [e] Clementem Alex.

e 1. Stro.

Quod verbum edideris, te tale audire necesse est.

Verùm quod potuisset alium impellere, meipsum retardauit, nempe conuitiorum plaustra, quæ in aduersarios deonerat, [f] quod non est disputatoris, sed plebeium & indignum Philosopho vitium. Contradicentem enim docere oportet, non contradicendo compescere; nam neque insano, si vicissim insaniat aliquis, medebitur, ait Antisthenes apud Stobæum. Accedit quod comperi per certos nuntios esse aliquos Parisiis, qui talis certaminis alogiam scribendam susceperant. Præterea videbam me habere rem

f Origenes 1. contra Celsũ.

cum ingenio versatili
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
cum circada loquaci & locutuleio, cuius
[h] *Verborū non stilla cadens, sed flumen inertū.* h Clemēs supra.
Illi non deerunt verba, ne nihil respon-
disse videatur: nam, vt ait [i] D. August.
Facile est cuique videri respondisse, qui tacere i l. 5. de ciuit. c. 27.
noluerit: aut quid est loquacius vanitate, quæ
non ideo potest quod veritas, quia si noluerit,
etiam plus potest clamare quàm veritas? Nemo
igitur existimet, quòd possit omnino
Fludi latratum cōprimere, qui nimirum
Tantologus se habet vt [l] canes voraces, l Philoponus ad 18. 1.
qui, cùm os aliquod apprehenderint, ab
eo ægrè diuelluntur. Et in hoc ab inge-
nio hæresis non abludit Fludus, quæ ve-
lut quædam hydra fabularum vulneri-
bus suis creuit, & dum sæpe rescindi-
tur, pullulauit igni debita, incendioque
peritura. Sibilant enim aduersùm nos
[m] hæreses linguis feralibus, & virus le- m Diuus Ambros. 1. de fide c. 4.
thale iaciūt, & sectis capitibus renascun-
tur: sed quia resurgente morbo, non de-
bet cessare medicina: & quanto maior
fuerit ægritudo, tanto instantior debet
esse curatio; orandus est Deus vt Hercu-
lem suscitet, qui fortitudinem belli ar-
met arte consilij, & admotis ignibus
multiplicem portentosi corporis par-
tem feruenti gladio desecet: ac sic am-
bustis intrinsecus medullis dum rebelles
venas improbæ fœcunditatis exurit, tan-

dem parturitio monstruosa cesset. Potens est enim Dominus Deus noster, vt quod de morte hydræ illius Gentilium falsitas finxit, hoc in Ecclesiarum bellis veritas peragat, & ignitus spiritus gladius, ita in extinguenda nouella hæresi veteres renouante, & Deum monstrorum moralium scilicet peccatorum auctorem esse blasphemante omnes penitus medullas perniciosæ generationis exuat, vt tandem prodigiosa fœcunditas emorientibus venis parere desistat. Redeo ad Fludum, qui est fertilior damnis suis, & fœcundior [n] æonis Valentini sterophiâ, cuius fœtus singulis fere nundinis Francofurti prostant, vbi non discernuntur spurij à legitimis, sicut olim [o] fiebat à Rheno.

n Cassianus 1. de Incarn.

o Tertull. 1. contra Marc. c. 5.

Hæ sunt rationes, propter quas statua, quam meruit Fludus siue vt Medicus, siue vt Armiger, flosculis exornata, quos ex operibus eius, quæ extabāt, legeram, non fuerit erecta. Postea cùm aduersarij armigerum debellassent, Antæus qui habet humeros Atlāticos, qui est eius thrasonismus, viribus resumptis in eos insurrexit, & suos errores vt potuit, tutatus est. Quare iterum penicillum resumpsi, vt effigiem eius, quam apud me inclusam tenebam relinerem, si fortè aliquis color excidisset. Iisdem tamen de causis appendix non est typis excusa, donec tandem

victus amicorum precibus acquieui, vt in lucem ederetur. Me mouit quidem causa Mersenni, sed penitus incitauit causa Dei & proximi, huius quidem ne erroribus Fludus inficeretur, illius verò ne eius gloria obscuraretur, & aliquo modo os loquentis iniqua obstrueretur, vt mēdacium profligaretur, veritas propugnaretur præsertim sūma, nēpe Deus, cui aliquid simile faciunt homines, cùm veritatem exercent, vt respondit Pythagoras interrogatus. p *Caterùm magi maximum Deorum, quem Oromagdem vocant, corpore quidē asserunt esse luci similem, animâ veritati.* Sed quis magis obtenebrare hāc lucem, & exterminare conatur hāc veritatem, quàm Fludus? qui impius in omnium rerum parētem atrocissima & diabolica conuitia iniecit, & apud homines calumniatus est. Diabolica, inquam: nam vt fert Diaboli q etymon, ita dictus est, quòd de Deo falsum detulerit apud primos parentes, *Primò*, inquit Tertullianus, *quòd de Deo illos ex omni ligno edere noluisset, dehinc quasi morituri non essent, si edissent, tertiò quasi Deus illis inuidisset diuinitatem:* & addit quòd malitia mendacij & fallaciæ in homines, & insaniæ in Deum, non est à Deo. At nunquid Fludus infamat, & sycophanta, & delator est apud totum genus humanum, dum ait Deum esse causam omnis mendacij, & omnis

p *Iulianus ep. ad Maximum.*

q *Casar. dialogo 1. qu. 44. Tertul. 1. cōtra Marc. c. 10.*

peccati in quo mendacium. Non conqueratur ergo Fludus si æquo animo non potui sustinere ipsum malè loqui de Deo nostrûm omnium communi parente, nec dicat me parum memorem dicti Antisthenis *supra*: nam doceo si vellet discere; non contradico, sed ipse sibi. [r] Falsitas enim non modo ipsi veritati, sed sibi quoque ipsi contraria est, nec vocet ea, quæ produco contra ipsum, conuitia, nisi fortè putat speculũ esse conuitiatorem, eo quòd vultũ cum næuis, dum sunt repræsentat: nam doctrina est speculum morum, & sermo est operis vmbra, ait [s] Democritus. Quanta autem sit blasphemia & impietas dicere Deum scelerum executorem immo, & quocunque modo auctorem, hinc patet quod etiam pudet aliquos Caluinistas, vt videre est ex Becano agente de Deo Caluini, & confligente cum Paræo. Patet etiam ex eo quòd deuoluat ad Atheïsmum, quod fassus est [t] Natalis Atheus Metis capite plexus, qui moriẽs dixit se inductũ ad Atheïsmũ ex eo articulo Caluiniano quòd Deus sit auctor peccati, & reprobet ante omne demeritum. Malebat enim, inquiebat, adorare Saturnum filios deuorantem, Iouem adulterum, Bacchum ebrium, Mercurium fallacem, vel nullum credere Deum, quàm credere Deũ auctoré ruinæ suæ crea-

[r] *Theod. serm. 5. contra Græcos.*

[s] *Laërt. l. 9.*

[t] *Cotto. nus in Geneua plagiaria deprauat.* 82.

turæ: & tamen audet Fludus dicere honestatem conciliari actioni prauæ à Deo prodeunti, eo quòd cedat in eius gloriam: Sed vt in simili dixit Cassianus [u] Dei nomen obiicit, vt Religionis nomine mentiatur, sancta promittit vt peruersa persuadeat, qui Dei sanctitatem de medio tollit. Consultiùs dicit Diuus Anselmus, [x] si Deus velit malum, non sequi vt id fiat bonum sed potius eum qui sic velit, non esse Deum. Parum erat Fludo destruere Dei sanctitatem moralem, nisi etiam euertisset Dei sanctitatem Physicam, vt videre est ex tract. 1. Microcosmi sect. 1. lib. 4. cap. 2. vbi ait, *Vnde patet quòd Deus se multiplicet toti s quoties personæ recensentur in Trinitate sacrosancta, vt integra mundi materia vertatur in essentiam eius diuinam.* Vnde trahat istud corollarium modò non memini, neque video quomodo ista cõuersio sequatur ex eo quòd in Deo sunt tres personæ, sed in eo quod dicit Deum se multiplicare, statim apparet Arrianismus & Tritheïsmus. Licet enim in Deo sit Trinitas, non tamen multiplicitas, nec triplicitas. Vnde malè audit propterea Sallustius ille qui versibus Gallicis mundi Cosmopœïam decãtauit, dum initio dixit de Deo quòd est triplex vnus, cùm debuisset dicere Trinus vnus: vbi enim multiplicatio, ibi diuisio naturæ; & si Deus multiplex, non igitur vnus,

[u] 7. de Incarn.

[x] lib. 1. Deus homo c. 12.

nec simplex: quantum ad mutationem clarum est, ibi enim conuersio, ibi mutatio; non tantùm eius quod conuertitur, sed etiam illius in quod conuertitur: sic dum alimentum vertitur in substantiam aliti, non tantùm alimentum mutatur, sed etiam id quod alitur, cùm acquirat aliquid de nouo: qui error similis est Eutychianismo: Nam Eutyches, & alij de quibus S. Cyrillus Alex. initio lib. de recta fide ad Theodosium, dixerunt carnem fuisse conuersam in Diuinitatem, & in tali errore fuisse Monophysitæ videntur, qui, teste Anastasio [y] Sin. offerebant vinum sine aqua, quo iudicabant Christum ab omni corporis & animæ concretione liberum ex sola, nudaque diuinitate constare: nempe putabant in Incarnatione humanitatem fuisse absorptam à diuinitate: eisdem erroribus aggregat Ioannem Langum [z] Genebrardus: prædictis Christiani nominis probris præluxerunt Stoici, qui reprobante Plutarcho libro de communibus, contra eos notionibus arbitrati sunt Deos minores in Deum magnum conuerti: Diuinam prǽterea immutabilitatem concutere ex aliis principiis ostendo in decursu, & alia Dei attributa, & consequenter euertere diuinam naturam, quæ eadem est cum suis attributis.

Accedat quòd in satariis agnoscitur

[y] ὁδηγοῦ.

[z] in exposit. symboli Athanasii n. 33.

quoddam genus Atheïsmi, si verum est quod ait [a] Isidorus Pelusiota, *Si Deus est, fatum non est*: & per consequens, si fatum est, Deus non est: quam consequentiam etiam trahit [b] Euseb Cæsar. *Qui fatorum*, inquit, *necessitatem esse credit, is apertè Deum & prouidentiam negat*: *veluti è contra qui Deum vniuersis praeesse putat, vim fatorum omnino destruit.* At Fludus admittit fatum Stoicum & Caluinianum, dum ait Deum nos adigere ad scelera, immò solum ea operari. Admittit etiam Astrologicum cùm doceat astra imponere necessitatem in vitiis, & est de genere eorum quos vocat ærusċatores antiquus Philosophus Arelatensis [c] Phauorinus, contra quos infert homines non fore λογικὰ ζῶα, sed ludrica & ridenda νευρόσπαστα (vel potius νευρόσπαστα, vt legit [d] Rhodiginus in antiquis lectionibus, stellis aurigantibus) ex quo patet quantā Deo & homini iniuriā inferat, Deo quidem, cui scelera adscribit, quod ne aures quidem nostræ ferre debeat, vt monet [e] Nemesius: homini etiam quem libertate spoliat, vniuersam etiam hominum vitam euertit, vt ait Eusebius *suprà*. Sed maior iniuria Deo irrogatur in primo, quàm in secundo: cùm isto admisso tantùm remotè Deo peccata tribuantur: Siquidem, ait [f] D. Augustinus, quòd illi qui refundūt peccatum in fatum, per circuitum volunt perueni-

a *l.3.ep.191.*

b *6.præpar.c.5.*

c *Tell.l.14.c.1.*

d *l.7 c.16.*

e *l. de homine c.35.*

f *in ps.31.*

re ad Deum accusandum, qui volunt de compendio venire ad Deum placãdum, puta quia fatum sunt stellæ inferentes necessitatem: stellæ autem à Deo factæ sunt, & ordinatæ in suo situ & motu.

Hæc pauca de religione Fludi, qui valdè est religiosus, & g magnam sibi videtur assumpsisse Religionẽ, si nullã respuat falsitatem: est enim ei valdè indifferens cuiuscũq; sit Religionis, modò sit de Cõfraternitate R, C, & putat se posse sociare agnos cum lupis, dum fidei tunicam inconsutilem dilacerat, vt vocat Philo Carpath. ad 4. in Cant.

g S. Leo ser. 5. in natali Apost. Petri & Pauli.

h *Nulla fides homines inter sanosque leones:*
Nunquam agni, atque lupi sensu ducuntur eodem.

h Euseb. 15. præp. c. 4.

Et sicut i multitudo numinum, quæ vera sint, nullitas numinum est, ait Athanasius; ita multitudo Religionum oppositarum quæ veræ sint, nullitas Religionum est, nam ex duobus de Deo diuersa sentientibus necesse est vnum falli & proinde colere Deum, qui non sit verè Deus: sic qui existimat Deum esse auctorem peccati, est idololatra, qui idolum mentis adorat; est dæmonicola cùm Diabolus, & non Deus impellat ad peccata polluimur ista dicentes, vt loquar cum Cyrillo Hierosl. Catech. 6. ne autem aliquis eorum qui legunt, in sordes eiusmodi incidat, id confert: multo enim

i orat. contra idola versus finem.

melius est in reprehendendis aliis audire absurda, quàm ex inscitia in ea incidere. Quantum ad meum modum procedēdi in hac confutatione is est qui decet Philosophum, cuius non tantùm dicta esse breuia oportet, sed etiam breues esse syllabas si fieri possit, vt vult [l] Zeno Citticus: tum quia non sum tam fœcundus ac Fludus qui suos libros infarcit testimoniis Scripturæ sacræ ad prauum sensum detortæ, vt proinde de eo dici possit, quod [m] Porphyrius de Cronio Pythagoreo Homeri interprete, dixit, *Non tam se ad Poëtæ opiniones, quàm Poëtam ad suas accommodare nititur.* Nec mirum est si Fludo sit tam numerosa proles nam vtpote plagiarius alienos fœtus abigit: si est tam diues: nam est effossor sepulchrorum: si quidem [n] scripta sunt monumenta scribentium, in quibus eorum reliquiæ seruantur. Vsus sum Sanctorum Patrum testimoniis, quos scio magni fieri à Catholicis [o] ab illorum si quidem laboribus quasi ex prædiuite vena cuiuspiam fontis modicus hic humor scaturiuit: & ex perenni fluuio tenuis hic exiliuit defluxus. Scio quòd Fludus paruipendit eorum auctoritatem, sed pluris facio id quod ait Cæsarius frater Nazianzeni dialogo 1. ad qu. 1. cuius testimonio tanquam regali quodam annulo hanc præfatiunculam


l *Laertius c. 7*

m *Stobæus in Eglogis eth. c. 1.*

n *Themistius orat. 13.*

o *Anastas. 1. de fidei dogmat.*

obsignabo, *Non quædam propriè mea, leuiáque proferam, sed quæcunque clarorum, beatorúmque Patrum prata peragrans de illorum roseto collegi: quorum rosæ aqua latere Dei ac Verbi quod carnem assumpsit, manante rigantur, & à iugi indidem orti riuo, rubro colore tinguntur, totumque mũdum suaui odoris fragrantia replent, qui & splendore suo firmamenti luminaria vincunt, & vitæ sermonem continent, quorum ellychnium nunquam decidit, & lucerna non comminuitur, & oleum non absumitur, & lampas non quassatur, & flamma non extinguitur: nam crucem gestant pro virga, Euangelia pro pera, charitatem pro pedo ac fistula, quibus omnibus Christi gregem rationis participem pascunt.*



CONFVTATIO DOGMATVM ROBERTI FLVDI.

Flud multicolor. §. 1.



LVD in aliquo ſuorum operum externam ſui figuram imprimi curauit, ex qua, vt veroſimile eſt, vult per coniecturam phyſiogonomicam ferri iudicium de ingenij excellentia. ego habeo exemplar expreſſius, ex quo eius animum depingam (non enim nouum eſt animum pingere. hoc enim primùm fecit Ariſtides teſte Plinio lib. 35. cap. 10.) quod mihi ſubminiſtrat ipſe Fludus. Eſt enim quoddam ſpeculum morum agentis oratio: nec maius poteſt eſſe mentis teſtimonium, quàm qualitas inſpecta verborum, ait Caſſiodorus lib. 5. variarum epiſt. in 22. incipiam autem more ſolito pictoribus, à craſſioribus lineamentis, & coloribus colores magis floridos inducam,

quos petam ex diuersis locis operum eius, quæ raptim percurri. est enim otiosorum & curiosorum in lectura eius nugarum absumere turpiter æuum. & nequidem attigissem, ni ausus esset aggredi Mersennum, de quo conqueritur, aut aliquis è Symmistis & gregalibus, quòd atro & coruino colore depictus sit ab eo. Et fortè non ita malè quis eum pinxerit, siue quia ponit tenebras latibulum suum, & velut Cacus in antro fratrum Crucis Roseæ delitescit. siue quia vt Græcis est in prouerbio κόλαξ ἐπὶ κόραξ, & ipse initio operum suorum adulatur principi suo, quem falso titulo Regem Galliæ facit & Ecclesiæ primatem, & caput supremum post Christum. Verùm quia hic error est illi cum aliis Anglis communis, & color ater non placet Fludo, & oppositus non conuenit, quia dolus inuentus est in ore eius, est maculis & mendaciis refertus (mendacium autem secundùm Theodoretũ 1. de prouid. est multiplex ac varium, sed veritatis gratia est simplex) idcirco malo eum pingere multicolorem. Hoc vnum me anxium habet, quòd fluctus non est tenax colorum. Attamen sicut polypus pro varietate petrarum quibus adhæret, nunc hunc, nunc illum induit colorem, ita flu&tus siue è vicino littore, siue ex arena subsidente vt dicitur de mari Erythræo, siue in modo quo Iris mille trahit varios aduerso sole colores.

Multicolor inquam est Fludus, siue spectes eius vitæ institutum: est enim togatus & saga-

us; oplomachus, & ophthalmicus. Siue mores: est enim mendax, & inconstans. Siue doctrinam: est enim Cabalista, & Alchimista. Est Astrologus & Magus; Chiromanticus & Geomanticus; Deista & Atheista; est Lutheranus, Manichæus, Caluinista, Priscillianista, Sophista, Tautologus, Stultiloquus, Plagiarius. His paucis, vt verbis Cassiodori vtar l. de anima cap. 2. editum est quasi parturiale ouum, vbi vitæ futuræ auis, pennarumque grata varietas continetur. Nunc aperiatur in partes, quia hominum consuetudo est faciliùs discere quæ diuisa possunt euidentiùs elucere.

Flud Sophista arrogans. §. 2.

VÆ *qui sapientes estis in oculis vestris*, Isaiæ 5. hæc est pars programmatis Fludani. Insuper Fludus parum memor sui in ipso operis vestibulo, quo impetit Mersennũ, ei imponit, quòd opinatus sit acquirere titulum Sapientis solius & summi, cui statim vt sæpe aliàs suggerendum est illi, *Medice cura teipsum*. Et vt semel dicam, quàm absurdum est quòd papulas quis obseruet alienas ipse obsitus vlceribus, næuos aut verrucas derideat, quem fæda scabies depascitur. Verba sunt Senecæ lib. de Vita beata, cap. 27.

Iam quòd Fludus sibi nomen sapientis arroget, immò sapientiæ, quod est intolerabilis

arrogantiæ (cùm soli Deo competat quòd sit ipsamet sapientia) patet vel ex epigraphe illius operis in quo Sophiam cum moria committit, id est seipsum cum Mersenno. Sed eius Cenodoxiæ alia argumenta producamus. Ac primùm, ad quid tot scientiarum farrago quas assuit suæ historiæ Physicæ tam microcosmicæ, quàm macrocosmicæ, nisi vt appareat πολυμαθής? Præterea vt ingenij promptitudinem ostentet in demonstratione analytica contra Keplerum ad tex. 2. ait se inchoasse primum volumen microcosmi anno 1618. circa festum S. Michaëlis, & solis lucubrationibus nocturnis absoluisse ante Quadragesimam eiusdem anni. An ita sit, Flude, fides sit penes te. quòd autem ita sit, non est mihi ita persuasu difficile. nam & tua tautologia, & antilogiæ hoc testantur. non attendisti quod id, ex quo gloriolam captare conatus es, tibi in opprobrium cedit, qui more canis parere festinantis tuos fœtus cæcos & informes in lucem edis, vt est in prouerbio, cuius meminit Themistius orat. 14.

Alterum non leue arrogantiæ signum est, quòd etiam sanctos Patres aspernatur. sic D. Damascenum stultitiæ & vanitatis arguit in meteorologia l. 4. membro 1. c. 5.

Accedit quòd eodem spiritu ductus, amplos, magnificos & speciosos titulos suis libris præfigit. Video quorum exemplo nempe eorum, de quibus loquens D. Hilarius 6. de Trinit. ferè initio ait; *Ingerunt nobis primùm nomi-*

ta veritatis, vt virus falsitatis introeat. Bonum in re est, vt de corde malum subeat. Propter quod D. Aug. agens contra Manichæos talia factitantes, lib. contra epist. Fundamenti cap. 11. ait isto velamine quoslibet errores fucari posse, vt imperitorum animis per ornatã ianuam latenter irrepant. Sic olim Christiani nominis infensissimus hostis Celsus Philalethes voluit dici. Sicut & Hierocles apud Eusebium qui illum confutat, eò quòd ausus sit Apollonium Thyanæum Christo comparare. Sic Seuerus vnus ex Acephalis librum quendam veri amantem inscripserat, teste Anastasio Sin. in ὁδηγῷ cap. 6. Et alius apud Lactantium li. 5. cap. 3. cùm veritatem penitus excidere connixus esset, ausus est libros suos nefarios, ac Dei hostes φιλαληθεῖς annotare. Ita nostris temporibus Lucilius Vaninus Atheus Atheis certamen indixit. cuius exstat liber quidam Lugduni impressus cum hoc grandicrepo lemmate, *Amphitheatrum æternæ prouidentiæ diuino-magicum Christiano-physicum, Astrologo-catholicum, aduersus veteres Philosophos, Atheos, Epicuraeos, Peripateticos & Stoicos.* Ingessit itaque Flud nomen Sophiæ, vt faciliùs venenum stultitiæ intraret. Attexuit alteri opusculo nomen summi boni, vt summum malum subiret. Prætenditur Lydius lapis, vt petra scandali tegatur. Videlicet homo subdolus voluit lupum sub ouis pelle celare, vt fallaci titulo posset irretire Lectorem, vt in simili loquitur Lactantius *suprà.*

Flud barbarus, & tenebricosus. §.3.

SEd quandoquidem Flud Sophos vult audire & Sophista dici, Sophista dicatur. Nā & Philosophiam Gallias peragrans venalem habuit. Si tamen debet dici Philosophus & non potiùs Philologus, vel Logophilus, si distinguuntur, vt distinxit Zeno apud Stobæum ser. 36. verùm hic color seorsim est inducendus & priùs in proposito insistendum, & ostendendum in quo Flud ab iis qui dicti sunt Sophistæ, deficiat quantum ad ornatum & nitidum loquendi modum. Nam Sophistæ dicti sunt qui primùm Philosophi, deinde se contulerunt ad orationes declamandas. Eo modo Themistius Euphrades Sophista audiebat. Eo modo inter Sophistas relatus est Dio Chrysostomus à Philostrato in vita Sophistarum.

Ac primùm quantum ad incultam barbariem dicendi Fludi quid attinet dicere, cùm ipsemet hoc agnoscat. Audi aliquas eius elegantias *manna absconditta* lib.2.certam.pag.57. *Laurena Principes* sect.2. microcos. port.3. l. 1. c. 1. *marcellia* & *marcelliæ* ibidem. Quanquam quòd Mitylenem vel Mitilenam cum Melita confundit, ad ignorantiam pertinet. *Nemosiis* & *Languidochia* sect.1.microcos.l.9.c.5. mitto alia quæ posset refundere in Typographum vt epist. dedicat.anatomiæ *chaos & tenebras in*

scriptis tuis agnouisti, & dum 4. de microcos. c. vlt. & 3 certam. c. 2. ait *vitam & esse suam* Sed fortè Flud ita loquitur claritatis ergo. Si ita est cur non dixit *nisma* potiùs quàm *nemosiis*. vel quid amplius claritatis est in *nemosiis* quàm *nemausi*. vel cur non potiùs dixit melitam vel maltam, quàm mitylenam?

Sed quid Flud alicubi est tam sollicitus de claritate, qui passim quærit latebras & antrum Heraclitæum, similis illi medico, qui vt Tullius refert 2. de diuinat. præcipiens ægroto vt sumeret cocleam siue testudinem, dicebat, sume tibi terrigenam, herbigradam, domipartam, sanguine cassam. Quibus eius obscuritatem depingam verba non habeo expressiora, quàm ea D. Hieronymi aggredientis Iouinianum. *Scriptorum*, inquit, *tanta barbaries est, & tantis vitiis spurcissimus sermo confusus, vt nec quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare quod loquitur, potuerim intelligere.* Et post multa concludens. *Furiosas Apollinis vates legimus: & illud Virgilianum, dat sine mente sonum. Heraclitum quoque cognomento σκοτεινὸν sudantes Philosophi vix intelligunt. Sed quid ad nostrum ἀινίγματιστὴν cuius libros multò difficilius est nosse quàm vincere.* Vnde autem Fludo obscuritas tanta, qui tam humili & pedestri stylo incedit, an ex frequentibus antilogiis? an ex battologia, quæ alioquin deberet perspicuitatem afferre? an quia plus sapit quàm oportet sapere; & superiora se scrutatur, & ne nihil dixisse videatur, verborum ambagibus Lectorem

eludit, & sub iis latibulum quærit deficientibus rebus?

Flud vanus battologus, tautologusque. §.4.

VTres quidem inanes spiritus distendit, stultos autem opinio, dicebat Socrates apud Stobæum ser.21. simili dicterio sui temporis Philosophos insectatur Timon vt refert Theodoretus in Therapuetica serm.2.

O vtres animi sensu quos implet inanis.

Flud philautia laborans & propria opinione velut vento inflatus, magno impetu verborum flumina volvit. De quo veriùs dixeris id quod Theocritus apud Stobæum serm. 36. de Anaximene dixit, *Incipit verborum quidem flumen, mentis autem gutta* Et certè si pauca Mathematica & Meteorologica excipias, non est in tanto operum eius corpore mica salis. Magnificos quidem & amplos titulos libris suis præfigit, sed more aliquorum Pharmacopolarum, quorum pixides vt plurimùm vacuæ sunt. Per singula capita magna promittit, sed animum legentis non implet, vt spe lactat inani, & amplam segetem ementibus sterili deludit auena.

Quid dignum feret hic tanto promissor hiatu?
Parturient montes, &c.

Vt eius tautologia appareat, non oportet longè spatiari per eius scripta, quæ earumdem

dem figurarum sæpe recusarum reditu grandescunt. In meteorologia multa repetit quæ dixerat in historia macrocosmi. Quoties eædem sententiæ eorundem auctorum iisdem verbis propositæ eodem tenore, eodem ordinem, eodem filio contextæ ingeruntur! an nescis Roberte quòd sicut dicendi modus non penes loquentem sed audientem est, vt ait Plato apud Stobæum *suprà*: ita scribendi modus non penes scribentem, sed legentem est? nescis quòd δὺς κεράμβη θανατὸς? nescis quod dicit D. Aug. 4. de Doct. Christ. c. 10. *Sicut enim gratus est, qui cognoscenda enubilat: sic onerosus qui cognita inculcat.* Et vt sileam de pyramidibus quæ pro frequentia non ampliùs erunt in admiratione, quid opus fuit ad probatione pleni, & exterminationem vacui nobis depingere non semel hominem pronum fistulâ è pelui attrahentem aquam. Quasi verò hoc non sit notum vel ipsis bubulcis. Sed nec Fludus omisit dolium, quod è regione posuit.

Flud matæologus. §. 5.

NOn tango hîc stultas quæstiones & Genealogias, quas deuitandas monet Apostolus ad Titum 3. inter quas refero eas quæ pertinent ad Genethlialogiam & Geomantiā. Nam præterea sunt perniciosæ. Et vt postea dicam, vtiliùs tacuisset Flud de inquisitione proprij dæmonis. Præterquam quòd in eius inuentione se potiùs matæoponum, quàm

philoponum exhibuit. Hoc enim ei veriùs obijci potest quàm Ioanni Grammatico, obiectum fuerit à Photio in Bibliotheca codice 55. Nunc vt aliquid Fludanæ stultitiæ specimē exhibeam, duo sunt præcipuè in quibus mihi videtur valdè ridiculus. Primum est extasis Geomantica. Secundum est vita, immò ratiocinium terræ, aquæ & similium. Quod attinet ad primum Flud tanquam certum Geomantiæ fundamentum statuit, quòd anima possit è corpore exire & liberè spatiari, & iterum redire, vt possit rerum absentium expiscari notitiam, & renuntiare. Sic enim l. 7. microcosmi cap. 9. ait quòd anima vnius hominis potest habere familiaritatem cum anima alterius longè distantis, quia per radios suōs penetrat corporis opacitatem, quòd radius animæ tanquam nuntius longè mittitur; & quòd animæ aliquando corpora relinquunt, quousque iis per radiationem anima absentis personæ, de cuius salute, aut negotio agitur, occurrat. Et in confirmationem citat Olaum magnum. Ex quibus multa infert, nempe quòd ex illa radiorum emissione exurgunt prophetæ & visiones. Quòd animæ possunt loqui eo modo, quo angeli loquuntur. Quòd anima, quæ sic vagatur, potest detegere furta, & mortem aut vitam alicuius longè distantis declarare, cuius se fecisse experimentum dicit.

Ista, sicut dicunt Patres de hæresibus, detexisse refutasse est. Nam suapte naturâ corruunt. Sed ne impunè abeat Flud, & ne ex eo

quod αὐτὸς ἔφα alicui ita esse videatur, in primis quòd spectat ad extasim, in qua sæpe dæmonis stropha interuenit, legatur Mersennus ad cap. 1. Genes. ver. 1. qu. 1. à cap. 32. immò ea, quæ ex Olao magno citat Flud, & habentur l. 3. cap. 17. conuincunt illum habere cum cacodæmone commercium eo modo, quo habet Lappones, ses Finnones, de quibus Olaus. Deinde quo testimonio scripturæ, qua auctoritate Patrum, qua ratione fultus docet animam in corpore inclusam emittere radios, quibus perrumpat corporis cancellos, & habeat cum alia consortium? vel quid iuuant illi radij, & cur potiùs in vnam, quàm in aliam animam incidunt? nonne ex sacris paginis discimus quòd donum Phrophetiæ est à Deo, & quòd Prophetæ videntes dicebantur non ab vlla radiorum emissione, sed quia Deus reuelabat auriculam eorum, vt de Samuele dicitur. 1. Reg. 9. quòd autem ait animas posse colloqui eo modo, quo se alloquuntur angeli, verum quidem est si sint separatæ à corpore. Nam vt bene ait D. Basilius Hom. ad id *attende tibi*, Si animæ extra corpora degerent, & essemus à sensib⁹ expediti, inter nos mox conueniret per mutuam cogitationũ intelligentiam. At quòd coiunctæ ita loquantur est omnino auctoritati & rationi dissentaneum. Prius itaque ostendendum erat Fludo, quòd animæ se ad libitum à corpore segregant, vt possint cum aliis colloqui. Sed hanc animarum diuagationem meritò irridet Tertullianus postea afferendus Nunc

enim à talis stultitiæ refutatione supersedeo, vt non minorem proponam.

Flud eò stultitiæ progressus est, vt sustineat terram, flumina, & similia nō tantùm esse animata, sed etiam habere sensum & rationem. certè sensum & rationē talibus non attribuisset, nisi priùs ipse exuisset: suæ naturæ est iniurius qui nō tantùm se numero pecudum adscribit, sed etiam se in truncorum classem relegat. Et vt passim suæ stultitiæ signa & vestigia relinquat, hominem habere posse cum brutis colloquium astruit, dum loco supra citato c. 11, approbat id, quod Philostratus de Apollonio Tyando narrat, hunc scilicet intellexisse auium garritum, & loquelam. Non plura de stultiloquio Fludi, veritus id quod dicit Arnobius 1 contra Gentes. *Aiunt enim sana sentientes contradicere rebus stultis, stultia esse maioris.* Solùm te monuerim Fludum non tantum se stultum, stupidum & sensus communis expertem probasse in eo quòd terræ tribuit sensum (hoc enim passim facit, dum agit de anima mundi, & in meteorologia l. 2. c. 7.) sed etiam detestabilem, immò detestabiliorem, quàm fuerint Manichæi, qui simpliciter terram inimatam esse effutiebant, Audi D. Basilium, Hom. 8. Hexaëmeri, *Putasne ergo*, inquit, *est animata tellus & locus præbebitur vaniloquis Manichæis animam terræ dandi*? Et postquam eos refutauit, concludit, *Sed eorum detestabilitas nota subinde est.*

Flud plagiarius. §. 6.

Est benignum & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris, ait Plinius in præfatione historiæ naturalis. Et paulo post. *Obnoxij animi, & infalicis ingenij est deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præsertim sors fiat ex vsura.* Quantum absit ab ingenuitate Flud, & quanta ingenij infælicitate laboret hac in parte constat ex eius plagiis, de quibus siluissem, sciens quòd dicit Seneca epistol. 12. *Quod verum est, meum est.* Et vnicuique licet cernere hæreditatem à maioribus relictam. Nisi ausus esset Mersennum plagii arguere. sic l. 2. Certam. conqueritur de illo, quòd analogiam meteororum microcosmi cum meteoris macrocosmi suffuratus sit ab ipso, quasi verò non sit facile inuentis addere, & similem analogiam non habeat Laurentius in historiæ anatom. Præfatione, quę si legisset Flud, vidisset à Mersenno exscriptum Laurentium, & non Fludum. itaque Flud sibi inuentionem arrogat multorum, quæ iam superioribus sæculis innotuerunt. Vel sibi fingit nullum præter ipsum versatum esse in aliorum lectione. Quid igitur, si aliquis dixerit quòd diluculum est instar veris, meridies æstatem refert, vesper autumnum, media nox hyemem, statim dicet Flud hoc ex sua medicina Catholica surreptum esse, cùm tamen hæc longè ante dixerit Antyllus apud Stobæum, serm. 99. si quis dixerit, quòd anima in descensu suo suscipit à Seraphinis Charitatem, à Cheru-

binis mentis Lumen & scientiam, à potestatibus, fortitudinem contra salutis inimicos, & sic de aliis, continuò Fludus, qui similia dicit in tractatu de microcosmo, conqueretur de plagio. Cùm tamē illi, sicut & in multis aliis, præluxerit Georgius Venetus in Harmonia mundi, cantico 1. tono 6. c. 32. & si quis docuerit esse nouem ordines dæmonum ex Bungo l. de numeris in enneade, nempe pseudotheos, præstigiatores, &c. Flud obiiciet furtum, eo quòd ipse post Agrippam similes gradus dæmonum recenseat l. 4. macrocosmi. Itaque si initio Psychologiæ voluerim præfari eo modo, quo auctor libri de spiritu & anima (apud D. Augustinum tomo 3.) qui putatur esse Hugo à S. Victore, non potero? quia Flud prœmium illud verbatim exscripsit l. 3. de microcosmo interno, à quo auctore; sed semper illaudato, multas sententias corrasit, vt postea patebit. Certè Fluct⁹ Roberti arescerent, si fontes obstruerentur alieni. Est enim graculus quidam alienis plumis excultus, quod de Porphyrio dixit Theodoretus serm. 7. contra Græcos. Nec tamen hoc miramur, Nam vt ait Cassiodorus in præfatione libri vndecimi variarum, humanus sensus, cùm alieno non farcitur inuento, citò potest attenuari de proprio. Sed parum esse gratum Fludum conquerimur, qui erubescit fateri per quos profecerit. Et cùm sit valde liberalis in propriis celebrandis, est tamen parcissimus in laudandis alienis: quot enim ante ipsum tam veteres quàm neotrici similia tractarunt, de quibus apud ipsum est altum silentium: possemus hic & alio modo Fludum

plagiarium exhibere, nempe eo modo, quo Geneuam plagiariā repræsentauit Petrus Cotonus gentilis meus, vt pote scripturarum corruptricem: verum de hoc colore infra. Veniamus ad Fludi antilogias in rebus magni momenti.

Flud fluctuans & non sibi constans. §. 7.

PRoteus *quidem formam, emperitus verè animum vbique mutat & variat*, Dicebat Socrates apud Stobæum serm. 4. non est meum propositum ostendere quòd Flud ita seruit tempori, vt omnibus se accommodet, vt nullius religionem respuat. Quod fortè didicit à fratribus Roseæ Crucis, quorum vnus liber fertur esse Proteus. Sed quòd se habet vt Polypus, qui vt dicit Carneades apud Stobæum, serm. 81. cirros suos iam auctiores deuorat, ita Flud pro ea constātia, quæ decet fluctus, suas opiniones absorbet. Nam videas illum frequenter prædicantem liberum arbitrium, quod tamen ex aliis principiis euertit, vt videbitur in tertio ordine errorum Fludi, tract. 1. macrocosmi l. 7. c. vlt. omnem malitiam in materiam tenebrosam refundit, eiusdem malitiæ originem esse solum Deum defendit in medicina Catholica, loca dabo postea. l. 1. Certam. cap. 2. ad tex. 3. de medio tollit omnes formas præter Deum: & tamen l. 1. macracosmi c. 6. ait de luce creata, quòd est vera forma essentialis cælorum, de qua luce dubitat ibidem an sit creata, vel non: notabis præterea Vertumni ingenium circa naturam Dei, Angeli, & animæ in breuiculo næuorum. Nam

modò reticeo, ne in tantologiam, quam in eo reprehendo, incidam: tum quia longum esset omnia percurrere: attexam duntaxat insignem Fludi fluctuationem circa materię primæ originem. In historia præternaturali vtriusque mundi sect. 1. portione 1. parte 2. l. 1. cap. 5. purgat se ab hoc quod dixerat hylam esse increatam: Et ait per materiam primam se intelligere nihilum, quod dicitur abyssus, quæ deinde transiit in aquam, quæ est materia secunda. Æthiopem lauas ô Roberte. Nam si alicubi scripsisti, vt fateris, hylam esse increatam, prauam, quantum in te fuit, ingenerasti opinionem in mente legentium de materiæ primę origine: nonne audito nomine materiæ primæ, vel hylæ siue syluæ omnes statim concipiunt aliquid, quod de se quidem sit informe, expers quantitatis, & qualitatis, sit tamen illius radix, sit de genere substantiæ, sit formarum receptaculum, veniat cum forma in compositionem rei corporeæ. Nonne tuus Plato, platonissas enim persæpe, per materiam primam siue hylam intelligit aliquod ens Deo coæuum, cui Deus extremam manum adhibuerit, siue quam confusam digesserit, & incultam ornauerit? & in hoc sensu Dionisius Alex Origenes, Philo, Maximus apud Eusebium Cæsar. l. 7. de prep. Euang. hanc fabulam refellunt. Deinde erras Flude, dum ais quòd nihilum vocatur abyssus, de qua Genes. 1. à quibus enim? certè non à Patribus, quorum aliqui quidem dicunt per terram inanem & inuisibilem fuisse designatam materiam primā: at per abyssum intelligunt aquā. vt enim ait D. Basilius hom. 2. hexaëm. abyssus est

aqua copiosa, ad cuius fundum non facilè potest penetrari: & dicitur abyssus quasi sine bysso & candore. Quia lumen eam totam non peruadit. hæc obiter.

Redeo ad caput, & ex alio loco ostendo Fludum malè sentire de origine materiæ primæ, & dubitare an sit creata vel non, nam l. 1. macrocosmi c. 3. postquam retulit duas opiniones, quarum vnam, quam dicit esse artesij, tenet materiam primam esse creatam, alteram, quam vult esse Paracelsi, asserit esse creatam, ignarus quò se vertat, vel vt ex dictis fit verosimile, contra famam deditus sententiæ putat Paracelsi: & contra sententiam sollicitus famæ, ne propterea malè audiat, ephecticè se habet, & litem sub iudicio philosophorum relinquit. Dubitat igitur Flud an præter Deũ sit aliquid aliud increatum. Non dubitasset si Patres sanctos legisset, vel eorum auctoritati fidem haberet. Nam præter citatos *supra*, Tertullianus lib. cont. Hermogenem huiusmodi materiarios (quos & Philonarchos vocat S. Gregorius Naz. carm. 4. de mundo) egregiè excipit, & D. Augustinus l. de vera relig. c. 18. & 1. de Genesi contra Manichæos c. 6. Theodoretus 4. contra Græcos.

Flud malus Physiologus, pejor Theologus. §. 8.

IN duobus Flud naturæ fundamenta euertit. Primò non tantùm cum aliquibus me-

rasti, qui non tantùm facis Deum reum omnis sceleris, ad quod satis est esse suasorem & impulsorem, quod pertinet ad causam moralem: sed etiam facis causam Physicam: Et non tantùm facis socium criminis, sed etiam solum auctorem & executorem. Quanta autem sit blasphemia tua breui docebo.

Flud mendacissimus calumniator & impostor. §. 9.

F Idei acerrimus exactor est perfidus, & mendacia persequitur ipse periurus, & litem sibi inferri agerrimè calumniator patitur. Verba sunt Senecæ 2. de ira c. 28. id est Flud, qui toties mendacij & calumniæ Mersennum arguit, ipsemet mendacia & calumnias struit & vt incipiam à leuioribus, statim in limine operis, quo impetit Mersennum, ei imponit, quòd opinatus sit acquirere sibi titulū sapientis solius & summi, eò quòd scribens super Genesim, aliquos auctores, quos Flud recenset, confutet, quorum aliqui sunt Athei, alij cacomagi, alij hæretici. ita Flude Sisyphi saxum voluis, quod in te relabetur: tu igitur in tuis scriptis opinionem summi & solius sapientis aucuparis, qui nouitates consectando te opponis grauib⁹ auctoribus, quales sunt S. Patres Dionysius, Damascenus, Thomas, quos nominatim citas & reiicis, dum agitur de Angelorum constitutione. Tu igitur tua opinione sapientior Aristotele, Damasceno, & aliis, quos in meteo-

xologia l. 4. membro 1. c. 3. vt vanos & stultos traducis, eò quòd opinentur lucem esse accidens hoc friuolo argumento fultus, quòd sequeretur lucem non esse opus primæ Diei, sed aliquod subiectum substantiale præexstitisse, cui lux inexisteret. Quasi verò non possit accidens per diuinam virtutem extra subiectum cohærere; vel, gratis concesso, quòd hoc non possit fieri, cogantur propterea prædicti auctores incidere in angustias contradictionis, vt tu fingis, cùm secundùm multorum Theologorum sententiam, distinctio dierum non pertineat ad opus creationis in rigore sumptæ, sed hæc præcedat saltem ordine naturæ, & nonne ex ipso textu Geneseos constat cœlum, terrã, vel saltem abyssum, quæ est aqua profunda, præcessisse lucis productionem, & ideo quid absurdi, si dicamus aliquod subiectum præexstitisse, quod esset lucis vehiculum, vel lucem cum tali subjecto esse concreatam? Hæc obiter ad retundendam Fludi iactãtiam in carpendis probatis auctoribus: superfluum autem duco texere catalogum eorum, quorum opiniones derelinquit, vel redarguit; in quo aduerte qua fronte hac in parte ausus sit reprehendere Mersennum.

Videamus alia mendacia quæ profert versipellis: inter auctores, quibus à Mersenno inuri notam atheismi, vel blasphemiæ, vel hæresis, vel ignorantiæ, vel stultitiæ ait Flud, numerantur Damascenus, & Thomas Aquinas, (de aliis enim non sum sollicitus) audito no-

Flud barbarus, & tenebricosus. §.3.

SEd quandoquidem Flud Sophos vult audire & Sophista dici, Sophista dicatur. Nã & Philosophiam Gallias peragrans venalem habuit. Si tamen debet dici Philosophus & non potiùs Philologus, vel Logophilus, si distinguuntur, vt distinxit Zeno apud Stobæum ser. 36. verùm hic color seorsim est inducendus & priùs in proposito insistendum, & ostendendum in quo Flud ab iis qui dicti sunt Sophistæ, deficiat quantum ad ornatum & nitidum loquendi modum. Nam Sophistæ dicti sunt qui primùm Philosophi, deinde se contulerunt ad orationes declamandas. Eo modo Themístius Euphrades Sophista audiebat. Eo modo inter Sophistas relatus est Dio Chrysostomus à Philostrato in vita Sophistarum.

Ac primùm quantum ad incultam barbariem dicendi Fludi quid attinet dicere, cùm ipsemet hoc agnoscat. Audi aliquas eius elegantias *manna abscondita* lib.2.certam.pag.57. *Laurena Principes* sect.2. microcos. port.3. l. 1. c.1. *marcellia* & *marcelliæ* ibidem. Quanquam quòd Mitylenem vel Mitilenam cum Melita confundit, ad ignorantiam pertinet. *Nemosiis* & *Languidochia* sect.1.microcos.l.9.c.5. mitto alia quæ posset refundere in Typographum vt epist. dedicat. anatomiæ *chaos & tenebras in*

ripiis tuis agnouisti, & dum 4. de microcoſ. vlt. & 3 certam. c. 2. ait *vitam & eſſe ſuam*. Sed ortè Flud ita loquitur claritatis ergo. Si ita t cur non dixit *niſma* potiùs quàm *nemoſiis*. el quid amplius claritatis eſt in *nemoſiis* uàm *nemauſi*. vel cur non potiùs dixit melium vel maltam, quàm mitylenam?

Sed quid Flud alicubi eſt tam ſollicitus de aritare, qui paſſim quærit latebras & an-um Heraclitæum, ſimilis illi medico, qui vt ullius refert 1. de diuinat. præcipiens ægro- vt ſumeret cocleam ſiue teſtudinem, diceat, ſume tibi terrigenam, herbigradam, doiipartam, ſanguine caſſam. Quibus eius ob-:uritatem depingam verba non habeo ex-reſſiora, quàm ea D. Hieronymi aggrediens Iouinianum. *Scriptorum*, inquit, *tanta barbaies eſt, & tantis vitiis ſpurciſſimus ſermo confuſus, t nec quid loquatur, nec quibus argumentis velit robare quod loquitur, potuerim intelligere*. Et poſt aulta concludens. *Furioſas Apollinis vates legious: & illud Virgilianum, dat ſine mente ſonum. Heraclitum quoque cognomento σκοτεινὸν ſudan-s Philoſophi vix intelligunt. Sed quid ad noſtrum ἐνθυματισὴν cuius libros multò difficilius eſt noſſe uàm vincere*. Vnde autem Fludo obſcuritas anta, qui tam humili & pedeſtri ſtylo incedit, n ex frequentibus antilogiis? an ex battoloia, quæ alioquin deberet perſpicuitatem af-erre? an quia plus ſapit quàm oportet ſapee; & ſuperiora ſe ſcrutatur, & ne nihil dixiſe videatur, verborum ambagibus Lectorem

eludit, & sub iis latibulum quærit deficientibus rebus?

Flud vanus battologus, tautologusque. §. 4.

VTres quidem inanes spiritus distendit, stultos autem opinio, dicebat Socrates apud Stobæum ser. 21. simili dicterio sui temporis Philosophos insectatur Timon vt refert Theodoretus in Therapuetica serm. 2.

O vtres animi sensu quos implet inanis.

Flud philautia laborans & propria opinione velut vento inflatus, magno impetu verborum flumina volvit. De quo veriùs dixeris id quod Theocritus apud Stobæum serm. 36. de Anaximene dixit, *Incipit verborum quidem flumen, mentis autem gutta* Et certè si pauca Mathematica & Meteorologica excipias, non est in tanto operum eius corpore mica salis. Magnificos quidem & amplos titulos libris suis præfigit, sed more aliquorum Pharmacopolarum, quorum pixides vt plurimùm vacuæ sunt. Per singula capita magna promittit, sed animum legentis non implet, vt spe lactat inani, & amplam segetem ementibus sterili deludit auena.

Quid dignum feret hic tanto promissor hiatu?
Parturient montes, &c.

Vt eius tautologia appareat, non oportet longè spatiari per eius scripta, quæ earumdem

dem figurarum ſæpe recuſarum reditu grandeſcunt. In meteorologia multa repetit quæ dixerat in hiſtoria macrocoſmi. Quoties eædem ſententiæ eorundem auctorum iiſdem verbis propoſitæ eodem tenore, eodem ordinem, eodem filio contextæ ingeruntur! an neſcis Roberte quòd ſicut dicendi modus non penes loquentem ſed audientem eſt, vt ait Plato apud Stobæum *ſuprà* : ita ſcribendi modus non penes ſcribentem, ſed legentem eſt? neſcis quòd δὶς κράμβη θάνατος? neſcis quod dicit D. Aug. 4. de Doct. Chriſt. c. 10. *Sicut enim gratus eſt, qui cognoſcenda enubilat: ſic onerosus qui cognita inculcat.* Et vt ſileam de pyramidibus quæ pro frequentia non ampliùs erunt in admiratione, quid opus fuit ad probationē pleni, & exterminationem vacui nobis depingere non ſemel hominem pronum fiſtulâ è pelui attrahentem aquam. Quaſi verò hoc non ſit notum vel ipſis bubulcis. Sed nec Fludus omiſit dolium, quod è regione poſuit.

Flud matæologus. §. 5.

NOn tango hîc ſtultas quæſtiones & Genealogias, quas deuitandas monet Apoſtolus ad Titum 3. inter quas refero eas quæ pertinent ad Genethlialogiam & Geomantiā. Nam præterea ſunt pernicioſæ. Et vt poſtea dicam, vtiliùs tacuiſſet Flud de inquiſitione proprij dæmonis. Præterquam quòd in eius inuentione ſe potiùs matæoponum, quàm

philoponum exhibuit. Hoc enim ei veriùs obijci potest quàm Ioanni Grammatico, obiectum fuerit à Photio in Bibliotheca codice 55. Nunc vt aliquid Fludanæ stultitiæ specimē exhibeam, duo sunt præcipuè in quibus mihi videtur valdè ridiculus. Primum est extasis Geomantica. Secundum est vita, immò ratiocinium terræ, aquæ & similium. Quod attinet ad primum Flud tanquam certum Geomantiæ fundamentum statuit, quòd anima possit è corpore exire & liberè spatiari, & iterum redire, vt possit rerum absentium expiscari notitiam, & renuntiare. Sic enim l. 7. microcosmi cap. 9. ait quòd anima vnius hominis potest habere familiaritatem cum anima alterius longè distantis, quia per radios suos penetrat corporis opacitatem, quòd radius animæ tanquam nuntius longè mittitur; & quòd animæ aliquando corpora relinquunt, quousque iis per radiationem anima absentis personæ, de cuius salute, aut negotio agitur, occurrat. Et in confirmationem citat Olaum magnum. Ex quibus multa infert, nempe quòd ex illa radiorum emissione exurgunt prophetæ & visiones. Quòd animæ possunt loqui eo modo, quo angeli loquuntur. Quòd anima, quæ sic vagatur, potest detegere furta, & mortem aut vitam alicuius longè distantis declarare, cuius se fecisse experimentum dicit.

Ista, sicut dicunt Patres de hæresibus, detexisse refutasse est. Nam suapte naturâ corruunt. Sed ne impunè abeat Flud, & ne ex eo

quod ὤτοις ἔφα alicui ita esse videatur, in primis quòd spectat ad extasim, in qua sæpe dæmonis stropha interuenit, legatur Mersennus ad cap. 1. Genes. ver. 1. qu. 1. à cap. 32. immò ea, quæ ex Olao magno citat Flud, & habentur l. 3. cap. 17. conuincunt illum habere cum cacodæmone commercium eo modo, quo habēt Lappones, ses Finnones, de quibus Olaus. Deinde quo testimonio scripturæ, qua auctoritate Patrum, qua ratione fultus docet animam in corpore inclusam emittere radios, quibus perrumpat corporis cancellos, & habeat cum alia consortium? vel quid iuuant illi radij, & cur potiùs in vnam, quàm in aliam animam incidunt? nonne ex sacris paginis discimus quòd donum Phrophetiæ est à Deo, & quòd Prophetæ videntes dicebantur non ab vlla radiorum emissione, sed quia Deus reuelabat auriculam eorum, vt de Samuele dicitur. 1. Reg. 9. quòd autem ait animas posse colloqui eo modo, quo se alloquuntur angeli, verum quidem est si sint separatæ à corpore. nam vt bene ait D. Basilius Hom. ad id *attende tibi*, Si animæ extra corpora degerent, & essemus à sensib⁹ expediti, inter nos mox conueniret per mutuam cogitationū intelligentiam. At quòd cōiunctæ ita loquantur est omnino auctoritati & rationi dissentaneum. Prius itaque ostendendum erat Fludo, quòd animæ se ad libitum à corpore segregant, vt possint cum aliis colloqui. Sed hanc animarum diuagationem meritò irridet Tertullianus postea afferendus Nunc

enim à talis ſtultitiæ refutatione ſuperſedeo, vt non minorem proponam.

Flud eò ſtultitiæ progreſſus eſt, vt ſuſtineat terram, flumina, & ſimilia nō tantùm eſſe animata, ſed etiam habere ſenſum & rationem. certè ſenſum & rationē talibus non attribuiſſet, niſi priùs ipſe exuiſſet: ſuæ naturæ eſt iniurius qui nō tantùm ſe numero pecudum adſcribit, ſed etiam ſe in truncorum claſſem relegat. Et vt paſſim ſuæ ſtultitiæ ſigna & veſtigia relinquat, hominem habere poſſe cum brutis colloquium aſtruit, dum loco ſupra citato c. 11, approbat id, quod Philoſtratus de Apollonio Tyando narrat, hunc ſcilicet intellexiſſe auium garritum, & loquelam. Non plura de ſtultiloquio Fludi, veritus id quod dicit Arnobius 1 contra Gentes. *Aiunt enim ſana ſentientes contradicere rebus ſtultis, ſtultia eſſe maioris.* Solùm te monuerim Fludum non tantum ſe ſtultum, ſtupidum & ſenſus communis expertem probaſſe in eo quòd terræ tribuit ſenſum (hoc enim paſſim facit, dum agit de anima mundi, & in meteorologia l. 2. c. 7.) ſed etiam deteſtabilem, immò deteſtabiliorem, quàm fuerint Manichæi, qui ſimpliciter terram inimatam eſſe effutiebant. Audi D. Baſilium, Hom. 8. Hexaëmeri, *Putaſne ergo*, inquit, *eſt animata tellus & locus præbebitur vaniloquis Manichæis animam terræ dandi*? Et poſtquam eos refutauit, concludit, *Sed eorum deteſtabilitas nota ſubinde eſt.*

Flud plagiarius. §. 6.

E*St benignum & plenum ingenui pudoris fatori per quos profeceris*, ait Plinius in præfatione historiæ naturalis. Et paulo post. *Obnoxij animi, & infelicis ingenij est deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præsertim sors fiat ex vsura.* Quantùm absit ab ingenuitate Flud, & quanta ingenij infælicitate laboret hac in parte constat ex eius plagiis, de quibus siluissem, sciens quòd dicit Seneca epistol. 12. *Quod verum est, meum est.* Et vnicuique licet cernere hæreditatem à maioribus relictam. Nisi ausus esset Mersennum plagij arguere: sic l. 2. Certam. conqueritur de illo, quòd analogiam meteororum microcosmi cum meteoris macrocosmi suffuratus sit ab ipso, quasi verò non sit facile inuentis addere, & similem analogiam non habeat Laurentius in historiæ anatom. Præfatione, quē si legisset Flud, vidisset à Mersenno exscriptum Laurentium, & non Fludum. itaque Flud sibi inuentionem arrogat multorum, quæ iam superioribus sæculis innotuerunt. Vel sibi fingit nullum præter ipsum versatum esse in aliorum lectione. Quid igitur, si aliquis dixerit quòd diluculum est instar veris, meridies æstatem refert, vesper autumnum, media nox hyemem, statim dicet Flud hoc ex sua medicina Catholica surreptum esse, cùm tamen hæc longè ante dixerit Antyllus apud Stobæum, serm. 99. si quis dixerit, quòd anima in descensu suo suscipit à Seraphinis Charitatem, à Cheru-

binis mentis Lumen & scientiam, à potestatibus, fortitudinem contra salutis inimicos, & sic de aliis, continuò Fludus, qui similia dicit in tractatu de microcosmo, conqueretur de plagio. Cùm tamē illi, sicut & in multis aliis, præluxerit Georgius Venetus in Harmonia mundi, cantico 1. tono 6. c. 31. & si quis docuerit esse nouem ordines dæmonum ex Bungo l. de numeris in enneade, nempe pseudotheos, præstigiatores, &c. Flud obiiciet furtum, eo quòd ipse post Agrippam similes gradus dæmonum recenseat l. 4. macrocosmi. Itaque si initio Psychologię voluerim præfari eo modo, quo auctor libri de spiritu & anima (apud D. Augustinum tomo 3.) qui putatur esse Hugo à S. Victore, non potero? quia Flud procemium illud verbatim exscripsit l. 3. de microcosmo interno, à quo auctore; sed semper illaudato, multas sententias corrasit, vt postea patebit. Certè Fluct⁹ Roberti arescerent, si fontes obstruerentur alieni. Est enim graculus quidam alienis plumis excultus, quod de Porphyrio dixit Theodoretus serm. 7. contra Græcos. Nec tamen hoc miramur, Nam vt ait Cassiodorus in præfatione libri vndecimi variarum, humanus sensus, cùm alieno non farcitur inuento, citò potest attenuari de proprio. Sed parum esse gratum Fludum conquerimur, qui erubescit fateri per quos profecerit. Et cùm sit valde liberalis in propriis celebrandis, est tamen parcissimus in laudandis alienis: quot enim ante ipsum tam veteres quàm neotrici similia tractarunt, de quibus apud ipsum est altum silentium: possemus hîc & alio modo Fludum

plagiarium exhibere, nempe eo modo, quo Geneuam plagiariã repræsentauit Petrus Cotonus gentilis meus, vt pote scripturarum corruptricem: verum de hoc colore infra. Veniamus ad Fludi antilogias in rebus magni momenti.

Flud fluctuans & non sibi constans. §. 7.

Proteus *quidem formam, emperitus verè animum vbique mutat & variat*, Dicebat Socrates apud Stobæum serm. 4. non est meum propositum ostendere quòd Flud ita seruit tempori, vt omnibus se accommodet, vt nullius religionem respuat. Quod fortè didicit à fratribus Roseæ Crucis, quorum vnus liber fertur esse Proteus. Sed quòd se habet vt Polypus, qui vt dicit Carneades apud Stobæum, serm. 81. cirros suos iam auctiores deuorat, ita Flud pro ea constãtia, quæ decet fluctus, suas opiniones absorbet. Nam videas illum frequenter prædicantem liberum arbitrium, quod tamen ex aliis principiis euertit, vt videbitur in tertio ordine errorum Fludi, tract. 1. macrocosmi l. 7. c. vlt. omnem malitiam in materiam tenebrosam refundit, eiusdem malitiæ originem esse solum Deum defendit in medicina Catholica, loca dabo postea. l, 1. Certam. cap. 2. ad tex. 3. de medio tollit omnes formas præter Deum: & tamen l. 1. macracosmi c. 6. ait de luce creata, quòd est vera forma essentialis cælorum, de qua luce dubitat ibidem an sit creata, vel non: notabis præterea Vertumnj ingenium circa naturam Dei, Angeli, & animæ in breuiculo næuorum. Nam

modò reticeo, ne in tantologiam, quam in eo reprehendo, incidam: tum quia longum esset omnia percurrere: attexam duntaxat insignem Fludi fluctuationem circa materię primæ originem. In historia præternaturali vtriusque mundi sect. 1. portione 1. parte 2. l. 1. cap. 5. purgat se ab hoc quod dixerat hylam esse increatam: Et ait per materiam primam se intelligere nihilum, quod dicitur abyssus, quæ deinde transiit in aquam, quæ est materia secunda. Æthiopem lauas ô Roberte. Nam si alicubi scripsisti, vt fateris, hylam esse increatam, prauam, quantum in te fuit, ingenerasti opinionem in mente legentium de materiæ primę origine: nonne audito nomine materiæ primæ, vel hylæ siue syluæ omnes statim concipiunt aliquid, quod de se quidem sit informe, expers quantitatis, & qualitatis, sit tamen illius radix, sit de genere substantiæ, sit formarum receptaculum, veniat cum forma in compositionem rei corporeæ. Nonne tuus Plato, platonissas enim persæpę, per materiam primam siue hylam intelligit aliquod ens Deo coæuum, cui Deus extremam manum adhibuerit, siue quam confusam digesserit, & incultam ornauerit? & in hoc sensu Dionisius Alex Origenes, Philo, Maximus apud Eusebium Cæsar. l. 7. de pręp. Euang. hanc fabulam refellunt. Deinde erras Flude, dum ais quòd nihilum vocatur abyssus, de qua Genes. 1. à quibus enim? certè non à Patribus, quorum aliqui quidem dicunt per terram inanem & inuisibilem fuisse designatam materiam primã: at per abyssum intelligunt aquã. vt enim ait D. Basilius hom. 2. hexaëm. abyssus est

aqua

aqua copiosa, ad cuius fundum non facilè potest penetrari: & dicitur abyssus quasi sine bysso & candore. Quia lumen eam totam non peruadit. hæc obiter.

Redeo ad caput, & ex alio loco ostendo Fludum malè sentire de origine materiæ primæ, & dubitare an sit creata vel non, nam l. 1. macrocosmi c. 3. postquam retulit duas opiniones, quarum vnam, quam dicit esse artesij, tenet materiam primam esse creatam, alteram quam vult esse Paracelsi, asserit esse creatam, ignarus quò se vertat, vel vt ex dictis sit verosimile, contra famam deditus sententiæ putat Paracelsi: & contra sententiam sollicitus famæ, ne propterea malè audiat, ephecticè se habet, & litem sub iudicio philosophorum relinquit. Dubitat igitur Flud an præter Deũ sit aliquid aliud increatum. Non dubitasset si Patres sanctos legisset, vel eorum auctoritati fidem haberet. Nam præter citatos *supra*, Tertullianus lib. cont. Hermogenem huiusmodi materiarios (quos & Philonarchos vocat S. Gregorius Naz. carm. 4. de mundo) egregiè excipit, & D. Augustinus l. de vera relig. c. 18. & 1. de Genesi contra Manichæos c. 6. Theodoretus 4. contra Græcos.

Flud malus Physiologus, pejor Theologus. §. 8.

IN duobus Flud naturæ fundamenta euertit. Primò non tantùm cum aliquibus me-

dicis, inter quos Galenus refertur 1. de elemẽtis, de medio tollit omnẽ formam substantialem creatam, sed etiam accidentalem. Nã 1. certam. c. 2. ad tex. 3. ait quòd causæ omnes formales subalternæ sunt delendæ, & ex mundo Christiano in exilium relegandæ & ad solum Deum, qui est actus actuum, omnis actio tam mediata, quàm immediata est referenda. in quo negando formã substãtialem destruit, maiori ex parte naturam: materia enim cùm nõ sit actiua, est minùs præcipua pars naturæ, quæ est principium motus & quietis: extra tabellam excurrerem modo, si vellem cũ Fludo cõfligere de existentia formæ substantialis, ei opponere turbam Philosophorum tam antiquorum Platonis, Aristot. quàm recentiorum, inter quos Physiologus & simul nobilis medicus Fernelius 1. de abditis rerum causis: & rationes, quas afferunt, vrgere: sat sit dicere quòd ille qui negat formam substantialem creatam, consequenter inficiatur se habere animam, quam pro nde vt loquar cum Olympiodoro in Eccles. in vanum accepit non minùs, quàm ille qui dicit esse mortalem. Qui verò negat formas accidentales, quæ sunt appendices substantialis, & agendi subsidia, sensu indiget.

Secundò cùm quodlibet sit propter suam operationem, satius esset negare omnem naturam creatam, quàm ei denegare vim agendi, vt facit Flud supra, vbi ait quòd non est natura creata, quæ operatur, sed Deus in-

duens creaturæ imaginem seu effigiem :. & in medicina tract. 1. sect. 1. p. 3. l. 1. c. 1. ait quòd Deus solus est in hoc mundo actor. *Quare*, inquit, *errant qui dicunt Angelum seu creaturam aliam hoc vel illud facere*. In quo sensus hebetat, medium inuestigandi varias rerum proprietates tollit, libertatem operandi creaturæ rationali adimit, Scripturam sacram reiicit, quæ creaturæ vim producendi tribuit; sed quod magis deplorandum, omnem prauam actionem Deo soli attribuit, prouidentiam & rerum suauem dispositionem & administrationem inficiatur; Nam si creaturæ nihil agũt, quomodo stabit illud quod ait S. Augustinus lib. 7. de Ciu. c. 30. (etiam alicubi referente Fludo) *Sic itaque administrat omnia quæ creauit Deus, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat*. Quàm egregium est in opinione Fludi audire & videre Deum personatum & laruatum diuersas personas agere, nunc sub effigie Iudæ seipsum vendere, postea sub eiusdem imagine illum strangulare; sub persona sui legislatoris peccatum prohibere, & sub larua impij illud perpetrare, sub effigie Prophetarum supplicia malè agentibus minari, & eundem sub effigie dæmonum ad facinora plectenda inuitare & impellere; in persona martyrum fidem profiteri, in persona Apostatarum abiurare; & in illa Tyrannorum persequi : ô Roberte hæc sunt præclara tuæ Theologiæ, de qua postea, dogmata. Omnes antecessores tuos impietate & blasphemia supe-

rasti, qui non tantùm facis Deum reum omnis sceleris, ad quod satis est esse suasorem & impulsorem, quod pertinet ad causam moralem: sed etiam facis causam Physicam: Et non tantùm facis socium criminis, sed etiam solum auctorem & executorem. Quanta autem sit blasphemia tua breui docebo.

Flud mendacißimus calumniator & impostor. §. 9.

F*Idei acerrimus exactor est perfidus, & mendacia persequitur ipse periurus, & litem sibi inferri agerrimè calumniator patitur.* Verba sunt Senecæ 2. de ira c. 28. id est Flud, qui toties mendacij & calumniæ Mersennum arguit, ipsemet mendacia & calumnias struit & vt incipiam à leuioribus, statim in limine operis, quo impetit Mersennum, ei imponit, quòd opinatus sit acquirere sibi titulû sapientis solius & summi, eò quòd scribens super Genesim, aliquos auctores, quos Flud recenset, confutet, quorum aliqui sunt Athei, alij cacomagi, alij hæretici. ita Flude Sisyphi saxum voluis, quod in te relabetur: tu igitur in tuis scriptis opinionem summi & solius sapientis aucuparis, qui nouitates conſectando te opponis grauib⁹ auctoribus, quales sunt S. Patres Dionysius, Damascenus, Thomas, quos nominatim citas & reiicis, dum agitur de Angelorum constitutione. Tu igitur tua opinione sapientior Aristotele, Damasceno, & aliis, quos in meteo-

ılogia l. 4. membro 1. c. 3. vt vanos & stul-
ıs traducis, eò quòd opinentur lucem esse
:cidens hoc friuolo argumento fultus, quòd
queretur lucem non esse opus primæ Diei,
d aliquod subiectum substantiale præexsti-
sse, cui lux inexisteret. Quasi verò non pos-
t accidens per diuinam virtutem extra sub-
:ctum cohærere; vel, gratis concesso, quòd
oc non possit fieri, cogantur propterea præ-
ıcti auctores incidere in angustias contradi-
tionis, vt tu fingis, cùm secundùm multorum
Theologorum sententiam, distinctio dierum
ıon pertineat ad opus creationis in rigore
umptæ, sed hæc præcedat saltem ordine na-
uræ, & nonne ex ipso textu Geneseos constat
:œlum, terrã, vel saltem abyssum, quæ est aqua
ɔrofunda, præcessisse lucis productionem, &
deo quid absurdi, si dicamus aliquod sub-
ectum præexstitisse quod esset lucis vehicu-
um, vel lucem cum tali subjecto esse concrea-
:am? Hæc obiter ad retundendam Fludi iactã-
tiam in carpendis probatis auctoribus: super-
fluum autem duco texere catalogum eorum,
quorum opiniones dereliquit, vel redarguit:
in quo aduerte qua fronte hac in parte ausus
sit reprehendere Mersennum.

Videamus alia mendacia quæ profert versi-
pellis: inter auctores, quibus à Mersenno inu-
ri notam atheismi, vel blasphemiæ, vel hære-
sis, vel ignorantiæ, vel stultitiæ ait Flud, nu-
merantur Damascenus, & Thomas Aquinas,
(de aliis enim non sum sollicitus) audito no-

mine Damaſceni, quem vt potè Orthodoxum & Scholaſticorum anteſignanum veneratur Eccleſia Catholica, obſtupui, dubius an ſaltem ignorantiæ argueretur à Merſenno. Nam refugit animus cogitare ipſum eſſe aliis notis affectum, & poſt multam inquiſitionem, cùm nō reperirem in opere ſuper Geneſim columna 384. ſicut citatur à Fludo, intuitum direxi in obſeruationes ad Problemata Veneti, & pro D. Ioanne Damaſceno (qui ſolus intelligitur, dum ſimpliciter profertur Damaſcenus vt etiam ex variis locis Fludi videre eſt) legi Nicolaum Damaſcenum hiſtoricum non ita probatum, fecit itaq; fucum lectori Flud. Quanquam licet Merſennus D. Domaſceno contradiceret in aliquo, & contra eius opinionem ſentiret, non propterea eum ignorantia notaret, quanto minùs ſtultitiâ, vt facit Flud, cùm mortalis homo ſcire omnia non teneatur, nec poſſit. Idem dicendum de D. Thoma, quem tantùm abeſt, vt inſcitiæ arguat Merſennus columna 1151. quæ producitur à Fludo: quin potiùs eius auctoritate reuincit eos, qui vim operandi mirabilia characteribus tribuunt.

Vlterius calumniatur indifferenter Chriſtianos l. 3. meteorol. membro 1. c. 3. tamquam inficiatores diuinæ immēſitatis alligantes Deū cœlo empyræo, & negantes eum vbique eſſentialiter exiſtere, ſed tātùm virtualiter. Sicine Roberte apud Ethnicos cauſam agis Chriſtianorū? nonne Ethnico præbes anſam

fugiendi Religionem Christianā tanquā pa-
m dignè sentientē de diuina maiestate? sed
ii sunt isti Christiani, si excipias vnum Cal-
ni de grege porcum Vorstū, teste Becano 1.
tract. 1. c. 6. qu. 1. an non Christiani tuo iu-
icio S. Patres? quorum vt dixi in Dialectica
hristiana l. 1. c. 10. non tantùm hecatonta-
es, sed etiam myriades proferri possent. Nō
ossum autem quosdam sine iniuria aliorum
roferre. Lege Scholasticos ad qu. 8. partis
. D. Thomæ.

Sed insignis & atrox est illa calumnia, quā
nter cacosophos refert Mersennum opusculo
llo, quod falsò inscribitur, *Summum bonum*:
Et l. 3. certam. pag. 78. eò quòd, vt ipsi affin-
git, neget vnicuique nostrûm adesse Angelum
custodem. Vbinam hoc negat ô Roberte, vel
qua coniectura duceris, vt asseras eum esse in
tali opinione? fortè quia negat esse in homi-
ne tres Angelos præsides & assistentes. Egre-
gia consequentia, quam certè mille iuga
boum non traherent: negat esse tres,
ergo negat esse vnum. Sed qua fronte
ausus est Fludus hoc imponere Mersenno
homini Christiano, Catholico, Religioso?
cùm non solùm ab ordinibus religiosis, sed
etiam ab vniuersali Ecclesia soleat quotannis
ex præscripto Pauli quinti summi Pontificis
recoli memoria Angeli custodis, & eius festū
celebrari. Verùm vt dixit D. Augustinus 4. in
Iulianum c. 8. hæreticorum frons nō est frons:
frustra itaque laborat Fludus, vt nobis probet

dari Angelum custodem, & phantasma sibi format, cum quo luctetur.

Tandem referamne inter Fludi stultitias, an imposturas? quod tract. de præternaturali vtriusque mundi historia sect. 1. portione 1. parte 1. l. 3. in Epilogo (postquam dixit exstare adhuc paradisum terrestrem) subdit. *Hîc ergo*, inquit, *manet, vt opinor, ille frater R.C. Iulianus de Campo cum gladio suo igneo, & mortem accedentibus comminatur.* Et stultia est, & impostura: quis est enim iste nouus Cherubinus? facessat Flud, & desinat toti mundo imponere. Nemo est tam rudis vt similia effutienti fidem accommodet.

Flud prophanus Babylonicus. §. 10.

MIscet Flud sacra profanis, siue quia ad ostentationem Polymathiæ scientias Mathematicas attexuit historiæ Physicæ macrocosmi, cùm potiùs debuisset Chymica, Georgica, & Iatrica tractare, si vt ipse docet ars naturam corrigit in regno minerali, adiuuat in vegetabili, supplet in animali. Nam in his ars est naturæ simia, non verò in eo quòd naturam speculetur: speculatiuæ autem sunt scientiæ Mathematicæ, siue quia panniculos quosdam veterum Philosophorũ vilibus suis veluti stupeis assuens nullo habito discrimine miscet cum auctoritatibus sacris malè connexis. Quid sibi vult ille tautologus, dum imitatus Agrippam 3. occultæ Philos. c. 38. toties

repetit

epetit *Paulus hominem*: *& Xistus Pythogoricus ius animam templum Dei appellauerunt*, microosmi cap. 5. & *Paulus cum Xisto Pythagoreo* 5. c. 2. & *D. Paulus cum Xisto Philosopho conueniens*. l. 7. c. 2. & *D. Paulus etiam cum Xisto Philosopho conueniens*. Ibidem c. 10. & *à Paulo & Xisto Philosopho*. lib. 8. & *vt cum D. Paulo & Xista Pythagoreo loquar*, l. 12. c. 2. quasi verò æqualis sit auctoritatis Xistus Pythagoricus cum D. Paulo, vel vnus ab alio sententiam hauserit: profanus insuper est Fludus qui nomen dæmonis vsurpat promiscuè pro bono & malo, more profanorum, cùm tamen obseruet Eusebius 4. de præp. c. 3. aliàs 5. nullum dæmonem à diuina scriptura bonum appellari. Idem ante obseruarat Origenes 5. contra Celsum, & postea D. Augustinus 9. de Ciuit. c. 19. profanus præterea qui formulas iurandi profanas vsurpat, qualis est *me hercle* contra consilium D. Hieron. ep. 146. *Absit*, inquit, *vt de ore Christiani sonet Iupiter omnipotens, & me Hercule, & me Castor, & cætera magis portenta, quàm numina*. Quid diceret D. Hieronimus si audiret à Fludo 1. microcosmi c. 7. Deum trinum & vnum vocari Demogorgonem & alibi: in quo profanam fabulositatem agnoscas: i nunc Flude & alios profanos voca.

Fludus dominarum Scripturarum adulterator. §. 11.

VErùm hæc parua ſunt: quàm profanus ſit in tractanda Scriptura ſacra diſcutiamus. Anaſtaſius Sinaïta cap. 1. ὁδηγοῦ dicit diſputationis duos modos eſſe, alterum per Scripturæ teſtimonia, alterum per probationes ex ipſis rebus petitas. *Qui nudus*, inquit, *firmior eſt, & verior, nam verba Scripturæ deprauari poſſunt.* Et vt ait Caſſianus l. 7. de Incarnat. mos eſt hæreticorum ea quæ rectè dicta ſunt, in adulterinum ſenſum peruertere, quod pleniùs docet Vincentius Lirinéſis in Commonitorio cap. 35. quapropter non eſſe admittendos ad Scripturarum diſputationem monet Tertullianus lib. de præſcript. à cap. 15. hæreticorum exemplum hac in re exactè imitatur Flud, videas enim volare (vt verbis Vincentij vtar) per ſingula quæque ſanctæ legis volumina; per Moſis, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas, nihil vnquam penè de ſuo profert, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conetur, nam ſiue Alchimiam defendat, ſiue pro Cabala pugnet, ſiue magiæ patrocinium ſuſcipiat, ſiue pro fratribus R. C. militet, ſiue animam mundi aſtruat, cernas prope nullam omitti paginam quæ non no-

ui,aut veteris testamenti sententiis fucata sit, & colorata. Sed tanto magis cauendus & pertimescendus est, quanto occultiùs sub diuinæ legis vmbraculis latitat, scit enim fœtores suos nulli fere citò esse placituros, si nudi & simplices exhibeantur, atque idcirco eos cœlestis eloquij velut quodam aromate aspergit: vt ille qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaque facit quod hi, qui paruulis austera quædam temperaturi pocula, priùs ora melle circumlinunt, vt incauta ætas cùm dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet, quod etiam iis curæ est, qui mala gramina, & noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant: vt nemo ferè, vbi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum.

Sed proferamus aliqua exempla, quibus appareat Fludum suis imaginationibus præuentum niti non tam se ad Scripturæ opiniones, quàm Scripturam ad suas accommodare, in quo non minus est reprehensioni obnoxius, quàm ille qui verba scripturæ corrumpit, nam vt ait Tertullianns supra cap. 17. tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Flud est in ea opinione, vt patet ex epilogo historiæ Physicæ macrocosmi, cui sunt duo rerum principia contraria, tenebrosa videlicet materierum

massa, & lux substantialis: addit, *Habemus Deum lucis patrem, habemus & diabolum principem tenebrarum.* Quibus indicat Deum non esse auctorem massæ materierum, sed diabolum. Cur enim Deus à se dominium huius massæ abdicaret, & in diabolum transferret, vel diabolo huiusmodi massæ principatum committeret, si Deus esset illius procreator? nam vt ait D. Ambrosius l. 1. de officijs c. 13. *Quis operator negligat operis sui curam: si iniuria est regere, nonne maior fecisse, cùm aliquid non fecisse nulla iniuria sit: non curare autem quod feceris, summa inclementia est?* consequenter Flud l. 7. microcosmi c. 4. à mundo visibili & materiali, cuius dæmō apud ipsum est princeps, abigit Deum. Hunc suum errorem loco priùs allegato non confirmat quidem Flud vllo Scripturæ testimonio, quia ibi totius tractatus doctrinam in pauca contrahit: Sed tamen passim alibi in illius patrocinium affert illud D. Pauli ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum,* Quod in sensu literali & Physico intelligit Flud. cùm tamē debeat intelligi in sensu Morali. Audi quid dicat D. Augustinus in Psalmum 54. explicans prædictum locum Apostoli. *Ne fortè,* inquit, *cùm dixisset mūdi, intelligeres dæmones esse rectores cæli & terræ, mundi dixit tenebrarum harum: mundi dixit amatorum mundi;*

mundi dixit impiorum et iniquorum? mundi dixit, de quo Euangelium dicit & mundus eum non cognouit.

Secundò Flud perperam opinatur Deum esse formam internam cuiuslibet rei. Sic l. 1. Certam. cap. 2. ad tex. 1. ait, *Lucem istam increatam internam lucis createformam esse audacter asseuerare & vitam eius dicere desistam nunquam,* Quod stabilire conatur ex illo psalmi 18. *Posuit in sole tabernaculum suum.* Quo loco vtebatur Manichæus dicens Christum, dum in cœlos ascendit, reliquisse carnem suam in Sole, teste Anastasio Sinaita cap. 6. ὁδηγοῦ, cùm tamen communior sensus sit Deum soli posuisse tabernaculum in cœlis, & dato quòd sensus sit solem tanquam cœli partem illustriorem esse Dei tabernaculum, quid hoc ad Fludi opinionem confirmandam, quòd Deus sit forma interna Solis, quasi verò idem sit habitare, quàm informare. Tertiò quis risum contineat, dum videt à Fludo probari flumina esse animata ex illo loco Ecclef. 1. *Flumina intrāt in mare,* ac si pedibus reptēt, & motu progressiuo ad mare sicut animalia ad stabulum properent. Quartò, quod est magis deplorandum, quàm ridendum, vt probet Deum esse vbique, vel terram esse animatam, inducit locum Isaiæ c. 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet* Saluatorem. Simili stultitia, sed minori impietate Manichæi abutebantur hoc loco Genes. 1. *Germinet terra*

herbam virentem: O ſtultas Fludi imaginationes, qui loco veri ſenſus Scripturæ S. nobis idola cordis ſui obtrudit.

Amica Fludi Compellatio. §.12.

CVm à viris eruditiſſimus audierim te virum cordatum eſſe, qui nolis apertæ rationi refragari, nunquid vides Scripturæ ſanctæ reconditos adeò ſenſus, nullus vt hominum ita poſſit eos recludere, vt abſque vlla dubitatione, & cum Orthodoxæ fidei certitudine credat illos à Spirituſancto proficiſci? An igitur dubius hæres, vir oculatiſſime, tibi cum aliis Catholicis, à quibus in tuis receſſiſti parentibus, ad illam veritatis columnam eſſe confugiendum; in quam ipſorum inferorum portæ ne quidem hilum valeant? Apage tuum Caluiniſmũ, & ſi quid peius amplexus es animi ſolitâ mortalibus imbecillitate.

Macte animo, ſi veritatis ſis amãs, ad illam te conferas quæ nulli ſit erori obnoxia, vt te fratrem, & chariſſimum matris noſtræ filium amplectamur. Neque enim dubius ſum quin iam pluribus erroribus Philiſophicis liberrimè renunciaris, præſertim verò Geomanticis punctulis, & futilibus Aſtrologorum decretis, vt nobis ſpes magna ſuperſit te breui dogmatibus Heterodoxis nũtium ita remiſſurum, vt ad firmamentũ veritatis, Eccleſiam dico Catholicam velut ad ſacram anchoram apellas:

quod faxit Deus Op. Max. cuius veniam ſimus imploraturi ſi te paulò duriùs in gratiam amici noſtri exceperimus, quippequi neque tibi nec vlli alteri reſpondere voluerit, ſuis Harmonicis, quibus omnes ad concordiam redigat, totus intentus. Nos interim pergemus, non animo quidem hoſtili, tametſi verba ſonare videantur aliter, ſed vt te ad ingreſſum in ouium verè Chriſtianarum ouile compellamus, quæ ſanguinem Chriſti corporeum (abſit vt diabolicum, more tuo, nuncupent) in tremendo Euchariſtiæ Sacramento, vt pote Dei verbo vnitum, adorant.

Conſule, obſecro, ſingulas S. Scripturæ paginas, ſi quem locum nanciſcaris adeò clarum, vt nullus tuum, vel alterius nō ſequatur in eo interpretando iudicium: quid clarius vltimi teſtamenti verbis, quibus teſtator diuinus, Chriſtus Dominus ſe panē corpus ſuum facere, & vino ſui ſanguinis eſſentiam accommodare? Et tamen Caluiniſta fingit nihil præter ſignum inſtitutum eſſe. Quod vt ſuadeat, ſuſque déque vertit omnia, vt tuus ille Scripturarum adulterator Molinæus aſſolet cum reliquis Anti-apoſtolis quos, iam tuo velim animo tantiſper obuerſari. Dicit Molineus germanum eſſe verborum iſtorum, *Hoc eſt corpus meum, &c.* ſenſum eſſe, *Hoc eſt figura corporis mei*: eſtne hæc infallibilis explicatio, quæ ſit abſque vlla formidine, ſuſpicionéque falſitatis? an implicat te, vel Molinæum in tuo

ſenſu, tuáque decipi ſacrarum literarum interpretatione? abſit, cum in veſtra Confeſſione profiteamini nullam eſſe hoc in mundo authoritatem, quæ ſit in explanando veræ Scripturæ ſenſu infallibilis.

An igitur huc illuc abſque certo ductore palantes ſemper aberrabimus? numquid à Deo nobis vllum eſt veritatis tribunal relictũ, quod conſulamus in dubiis? Columnam Eccleſiaſticam amplectere, Roberte chariſſime, ſi nolis à vero fœlicitatis ſcopo diſcedere; nec enim, ſi fueris arcâ ſalutis concluſus, aquis obruêris, viuéſque in æternum ſi Chriſti carnem, tam ore quàm mente Orthodoxorum more ſumpſeris. Quod vbi feceris, non ſolùm præterita, ſed & ſequentia æterno ſilentio libenter obruemus: túncque non ſolùm canemus cum Eccleſie, *Hac eſt dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*; verùm etiam de Chymicis, Aſtrologicíſque rebus tecum per amicas litteras, déque Harmonicis diſſeremus. Adde quòd ſingulis diebus Deum Opt. Max. perpetuis laudibus efferes, qui te liberarit à perditionis laqueis, & in arcam noui fœderis redúxerit: hoc eſt, ô Flude, quod omnes à Dei miſericordia poſtulamus: tantummodo Dei gratiæ deſis, quæ pulſat continuò ad tui cordis ianuam, & ad ſalutem te ſingulis momentis inuitat.

Flud

Flud Alchymista ridiculus.

EST qui miretur quòd ſicut Archimedes motus cælorum in ſphæra vitrea exhibuit, ita Fludus mundi creationem in cucurbitula demonſtrare conatus eſt, vt proinde poſſit dici,

Ingens in fragili luditur orbe labor.

Miramur magis quòd non valdè improbat deliramentum eorum qui dicunt arte chymica poſſe formari hominem, de quo factam eſſe experiẽtiam Pariſiis, ni fallor, narrat alicubi. non admodum etiam reiicit illam fabulam quam refert lib. 5. Anatomiæ myſticæ cap. 6. nempe in corpore humano dari os quoddam minimum, quod Hebræi *luz* appellant, magnitudine ciceris mundati, quod nulli corruptioni obnoxium, nec igne quidem vincitur, ex quo velut planta ex ſemine in reſurrectione mortuorum corpus noſtrum animale repullulaſcet. in quo cum quibuſdam aliis Alchymiſtis inſinuat naturalem eſſe reſurrectionem. Reſpondebit forſan hæc recitatiuè, non aſſertiuè à ſe dicta eſſe, quare ipſum alibi loquentem audiamus, ſcilicet lib. 2. prædictæ Anatomiæ cap. 3. vbi agit de naturæ in corpore humano alchymia & laboratorio, vbi poſtquam dixit chylum conuerti in ſanguinem, & naturã vegetabilem. verbi gratia, fruges tranſire in naturam animalem, addit, *Quòd autem*

animalis irrationalis substantia in illã rationalis migret, & vice versa neminem latere, aut dubitare scio sequitur cõclusio digna Fludo, *Hinc ergo*, inquit, *contemplationum quidem excellentissimarũ fundamenta depromi possunt, & quæstiones atque dubia valde ardua produci, vtpote an bestiæ substantia (imò verò & illa vegetabilium in corpus & substantiam humanã conuerti queat? an corporis bestialis seu vegetabilis futura sit die vltimo resurrectio? cùm idem operatione naturæ iam fiant, eadem scilicet caro & ossa cum corpore humano, cuius pro certo erit à morte ad vitam æternam resurrectio. quod si sequatur, petitur an in natura sit potestate ita animalia irrationalia, imò & ipsa vegetabilia præparare, vt corpora ipsorum conuersione scilicet in corpus humanum per resurrectionem possint in æternum viuere*; & addit falli eos qui dicunt huiusmodi operationes extra naturæ potestatem existere. O excellentissimas contemplationes, & ardua dubia in officina cerebri seu cæli cælorum Fludani formata! quàm arduum est intelligere quòd fruges & caro animalis cedant in pabulum homini, & consequenter quis ignorat quòd alimentum transit in substantiam aliti? Sed præterea estne dicendum quòd corpus brutale & plantale resurget; quòd erit beatum, vel miserum? nonne materia vel corpus sumit nomen à forma quam vltimò sortitur, non autem ab ea sub qua primùm fuit? Deinde dic nobis aperte, ô Roberte, an sicut viribus naturæ fit accretio,

ita futura sit resurrectio vt subindicas. quod si fateris, iam te opponis torrenti Sanctorum Patrum, & aliorũ Doctorum, qui dum agitur de Anastasi visa ethnicis impossibili, recurrunt ad Dei omnipotentiam.

Sed dicet quis, ad eandem recurrit Fludus; nam præmiserat quòd naturæ passiuæ anima interna est ipsamet Dei substantia, & ideo falluntur qui dicunt huiusmodi operationes esse extrà naturæ potestatem. Sed in primis errat Fludus in eo quod existimat Deum esse animam internam, de quo aliàs, & inter errores Stoicorum numerat Lactãtius lib 7 Instit cap. 3. qui vno naturæ nomine duas res diuersissimas comprehendunt Deum & mundum, artificem & opus; dicuntque alterum sine altero nihil posse, tanquam natura sit Deus mũdo permixtus: nam interdum sic confundunt, vt sit Deus ipse mens mundi, & mũdus sit corpus Dei Deinde esto tam nutritio quàm resurrectio sit à Deo, est tamen alio atque alio modo: nam nutritio est à Deo vt auctore naturæ, resurrectio verò ab eo vt operante supra exigentiam & debitum naturæ: nutritio est à Deo vt cooperante & concurrente, cum facultate altrice naturali propria animalis: at resurrectio à solo Deo.

Flud tenebrio socius furum

SI *videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* quod meritò cadit in Fludum, cuius ingenium ita est versatile, vt nullius mores, nullam Religionem respuat. Gloriosum ducit includi velut in equo Durateo cum Hæreticis, Magis, & Atheis, contra quos pugnat Mersennus. Sed pro nulla societate ita acriter militat Fludus, ac pro ea fratrum Roseæ Crucis, qui tenebriones occultè dogmatizant, & in antro, vt vocant fraternitatis, in quo vt latrones delitescunt, & hoc more veterum & recentiorum Hæreticorum. Sic Manichæi dicti sunt clancularij à D. Augustino: ita Dioscorus & Ioãnes Ægeates clam perniciosa dogmata disseminabant: ita Caluinus in cella vinaria suorum errorum initia iecit. nec mirum quia qui malè agit, odit lucem, & omne quod manifestatur lumen est. Fratres autem prædicti nolunt fieri manifesti, & venire ad lumen, ne arguantur opera eorum, vnde inuisibiles dicuntur non præ nimio lumine, quicquid prætensi Illuminatissimi dicant, sed præ tenebris, & in vmbraculis allegoricæ interpretationis eorum doctrina latitat, & est negotium perambulans in tenebris. nam si à Fludo quæratur quæ sit illa domus occulta, quam inhabitare dicuntur, respondebit quod est sa-

pientia, ita lib. 4 certaminis, & qua cruce notentur, respondebit internâ, quæ est sapientia mystica. & cur Rosea, quia sanguine Christi aspersa, *Argutiæ istæ sunt*, ô Roberte, *vt apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire solemne est malas in iudiciis causas*, vt cum Arnobio loquar quinto contra Gentes refellente allegoricam Mythologiam Deorum: O delicati milites Christi, vobis magis placet Crux rosea, quàm spinea: nam & vestra confraternitas instituta est inter compotationes & conuiuia in Germania, in cuius gurgustiis solet suspendi corona rosea, quæ conuiuas admonet silentij, iuxta illud cuiusdam Poëtæ

Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,
Conuiua vt sub ea dicta tacenda sciat.

Flud Astrologus fatarius, immò fatuus.

SI cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum, ait D. August. tract. 37. in Ioan. quare non debet succensere Flud si ita audiat cum aliis Astrologis & Genethliacis, à quibus non degenerat, immo superat in fatuitate: nam si aliqui, vt Iulius Firmicus, referente Alexandro ab Angelis in opere contra Astrologos, dixerunt stellas audire & videre, in eadem naui est Flud, qui non tantùm cœlo debet tribuere sensum, sed etiam rationem, cùm tribuat terræ.

Secundò fingunt Mathematici, vt refert Seruius in sexto Æneidos, quòd singulorum numinum potestatibus corpus & anima nostra connexa sunt ea ratione quia cùm descendunt animæ, trahunt secum torporem Saturni, Martis iracundiam, libidinem Veneris, Mercurij lucri cupiditatem, Iouis regni desiderium. Similia ex Platonicis aliquantum diuersa refert Macrobius in Somnio. Flud in Genethlialogia agens de mentis cum anima & spiritu medio in infimā mundi regionem descensu, ait, quod recipit voluntatem à primo mobili, actionem à firmamento, vim receptiuam à Saturno, vim naturalem à Ioue, irascibilem à Marte, vitalem à Sole, concupiscibilem à Venere, phātasticam à Mercurio, & vegetatiuam à Luna. Similia habet in historia physica microcosmi, sed & amplius ait quòd anima in transitu suo gustat de proprietatibus intelligentiarum, scilicet de igneo Seraphinorum intellectu atque dono charitatis, à Cherubinis scientiam, à Thronis iustitiam, à Dominationibus virtutem, à Principatibus reuerentiam, à Potestatibus fortitudinem contra Dæmones, à Virtutibus illuminationem & miracula. Gustat etiam de secretis Archangelorum, & Angelorum in officiis, annuntiationibus, obedientia.

Tertiò, Astrologi quidam astruunt fatum, quod humanæ voluntati iniicit necessitatem. Flud docet Astra in furtis & vitiis simi-

ibus imponere necessitatem, & præterea ntroducit quendam Dæmonem olympium fatalium executorem, quem alligat animæ, & cuius manus sit influxus astrorum promouere. Vide num hoc hauserit ex Platonis somniantis fonte in tomo de Repub. Platonici enim dicebant animas, antequam n corpus præcipitarentur, imponi quibusdam vehiculis, & eis leges fatales edici, & t refert Marsilius Ficinus in Comment. ad prædictum librum de Repub. in fine, dari Dæmones in fatali itinere duces animarum descendentium, ita vt alij alias ducant animas, Saturnij quidem saturnias, Martij marias, &c. addit: hoc deinceps vitæ duce subunt iam animæ tria fata ita statuente Dæmone ordinis totius executore: quid in his mnibus habeat illud simile cum Priscillianistis, videre poteris apud D. August. hæresi o, locum postea producam, & huiusmodi nimarum descensus reiiciam.

Flud Cacomagus Geomanticus.

MAGI appellationem non renuit Fludus, licet magia simpliciter & absque restrictione nunc malè audiat. quàm rigidè autem à se remoueat suspicionem Cacomagiæ, attende ex libro tertio Certaminis, vbi ait non egisse de magia superstiiosa, grati eam tuendi, sed eius errores & vanitatem detegendi. Sed satius fuisset eam

tegere, si nolebat refutare. curiosis enim, quibus hoc sęculum abundat, propinat venenum, & non adhibet antidotum. Debuit meminisse illius quod Actorum Apostolicorum 19. scribitur multos, qui fuerant curiosa sectati, contulisse libros, & combussisse: & eius quod refert auctor Dæmonomaniæ in refutatione Vvieri, ferè initio, scilicet iuuenem quendam nomine Lolianum fuisse exilio mulctatum, & bonis spoliatum, eo quòd librum magiæ exscripsisset.

Secúdò, cùm ei obiicitur, quòd agit de proprij Dæmonis inuentione, respondet non ex propria mente egisse, sed ex mente veterum Magorum. Itane Flude proximorum saluti consulis, qui noxia exponis, & alexipharmaca non adhibes? Sic Illyricus & Cardanus rationes contra animæ immortalitatem proponunt, & insolutas relinquunt. Sic Atheus ille Lucilius Vaninus, vt introducat latenter Atheïsmum, introducit discipulum suum loquentem. Ita Euripides, vt ait Eusebius 14. præp. cap. 6. quamuis Areopagitarum formidine, non omnino se aperuerit, Sisyphum tamen induxit quasi huius opinionis, scilicet, Deos non esse, protectorem, & quibuscumque rationibus sententiam eius tutatus est.

Tertiò, Cacomagorum Flud est patronus, quales sunt iam dicti fratres Crucis Roseæ, quales præterea Apollonius Tyanæus, Apuleïus, Cornelius Agrippa, de cuius morte &

atro

atro cane comite qui se in Ararim præcipitem dedit Paulus Iouius in elogiis Doctorum, Manichæi quoque, quos sæpe imitatur, erant magiæ addicti.

Quartò Flud nũquam persuadebit, quantumuis expertus in scientia Geomantica, si dicenda sit scientia, se potuisse reuelare quæ reuelasse ait circa furtum, circa mortem hominis in bello occisi, 7. Microcosmi cap. 9. absque cõmercio cum Cacodæmone, quod interuenire inter hunc, & Genethliacos docet D. August. 2. de doctr. Christ. cap. 23. & 5. de Ciuit. cap. 7.

Flud Hæreticus.

AN Flud sit Lutheranus, vel Caluinianus, an Lutherano-Caluinista, non apertè manifestat. Verumtamen quia simia semper est simia, non potuit ita dissimulare, quin aliquomodo se proderet, & velut fluctus feri maris suas confusiones despumaret. nam alicubi agens de ritu Eucharistiæ, ait, *Apud nos in Ecclesiis Britannicis panis consecratur*; quo indicat se esse de numero illorum quos vocant Impanatores, constituentes Corpus Christi simul cum pane. nam neque huiusmodi consecrationem, neque realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia recipiunt Caluinistæ, sed siue sit Puritanus, siue Lutheranus, siue vnus è fratribus Roseæ Crucis, consequens est, vt quia

talium secta est damnabilis, Flud quoque pro pariditate sit plectibilis.

Verùm si alicui non videtur sufficiens siue ad damnandum eum tanquam hæreticum, quòd sit vel Lutheranus, vel Caluinista, vel frater Roseæ Crucis, ex ore ipsius eum iudicemus. ore enim spurcissimo multas hæreses, immò blasphemiā euomit. de blasphemia mox dicam, nunc aliquas eius hæreses tāgo. cum Luthero sentit quod anima sit ex traduce, cum eodem & Caluino quòd non sit sui iuris, cum Manichæo & Priscilliano, quòd sit particula diuinæ substantiæ.

Passim eius doctrina redolet Manichæismum. Manichæi Deum esse rerum omnium Creatorem negabant: nam ponebant præter Deum aliud principium increatum, *Tradunt*, inquit Harmenopulus lib. de sectis, *& duo principia bonum & malum, siue Deum & materiam:* Flud præter Deum vult materiam primam esse increatam, vel saltem an hæc sit creata dubitat, Manichæi, teste Nemesio lib. de homine c. 2. dicebāt vnam solam animam omnium quæ vbique sunt: Flud vnam animam mundi cognoscit. Illi asserebant animam, teste eodem, esse corpoream: hoc idem asserit iste. Illi deblatterabant animas bonas eius, cuius Deus est, esse naturæ: in tali errore est Flud. Illi duo regna statuebāt, vnum lucis, aliud tenebrarum: iste ait quòd duo sint principia contraria, lux substantialis, & massa tenebrosa. Illi volebant re-

gnum tenebrarum esse immensa magnitudine dilatatum: idem de Fludo testatur effigies materiæ seu massæ rudis sub forma fumi nigerrimi, quæ habetur lib.1. Microcosmi cap.4. in qua vndequaque scribitur, *& sic in infinitum.* Illi comminiscebantur gentem tenebrarum pugnasse contra gentem lucis: iste explicans fabulam Demogorgonis, intelligit massam tenebrosam per litigium, quod rebelle superioribus fuit, & ad terram detrusum à Demogorgone. Manichæi dicebant principium illud, quod dicitur malum, non esse reuera principium, sed immanem quendam Principem tenebrarũ: apud Fludum tenebræ habent suum principem. Illi, vt ait D. Augustinus lib. de hæres. c. 46. peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis aduersæ. Iste asserit odium, vitium, malum, & similia à tenebris Diaboli nuntiis procedere. Manichæus quasi manna fundẽs à sectatoribus dicebatur, qui se de cælo Illuminatos esse asserebant, & seipsum Spiritum Sanctum esse dicebat: Flud est de numero eorum qui se illuminatissimos vocant, & luminis occulti, seu mannæ absconditæ (vt 2. Certam. loquitur) seu sapientiæ lucidæ possessores. Manichæi, vt tradit Harmenopolus, Lunam & sydera ceu Deos adorari volebant: Flud Solem Deum naturæ appellat. Illi in suorum figmentorum patrocinium Scriptura sacra abutebantur: hic eadem

ſuas imaginationes ſtatuminare, vt vocabulo ab eo cuſo vtar, conatur. Illi, vt refert Nemeſius, affirmabant puras quidem animas in lucem excedere cùm ſint lux; quæ verò à materia contaminatæ ſunt, abire in elementa: hic 8. Microſ. cap. 1. ait, quod miſerrima eſt illa anima, quæ mentem negligens corporali animæ adhæret: nam facta talis animę & corporis diſſolutione, mens fugit propriis alis ſurſum, & relinquit eam in luto terreno, ſeu hvlæ voragine obſcuratam: tandem Manichæi, teſte D. Auguſtino, dicebãt eſſe in homine duas animas confligentes vnam bonam, aliam malam: an non ſimile quid dicit Flud iam allegatus, & p. 83. Certaminis, vbi triplicem animam ſeorſim ſeparabilem diſtinguit, ita vt ſuprema nunquam damnetur, quia nunquam malo conſentit.

Flud blaſphemus & impius.

QVÆ poteſt maior eſſe blaſphemia quàm dicere Deum eſſe auctorem ſcelerum. nam iuſtitiæ fontem iniuſtum nominare, omnem blaſphemiam ſuperat, nec vllam maioris blaſphemiæ cauſam relinquit, vt ait Theodoretus ſerm. 9. de prouid. Ego verò hæc talia vel in literas referens, vereor ne tantæ blaſphemiæ participem me efficiam, vt cum Anaſtaſio Sinaïta in Duce viæ cap. 15. loquar, vel cum Cyrillo Hieroſol. Cath. 6.

polluimur iſta dicentes,

Damna aures Pater alme meas, & claude meatus
Obruteſcentis capitis, nec peruia tales
Concipiat flexura ſonos, eſt perdere tanti
Extinctum vitæ officium de parte cerebri,
Immunem modò ſeſe anima expertémq; nefandi
Auditus fœlix ſtolida conſeruet ab aure:
Quis ferat hæc iniecta Deo conuitia?

Verſus ſunt Prudentij in Hamartigenia execrantis talem blaſphemiam. quam inter Atheïſmos Caluini refert Claudius Sanctesſius tract.5.

Quanta autem ſit impietas, qualis blaſphemia, diſce ex Patribus: nam ait D. Ambroſius 1. Hexam. cap. 8. quòd feralis hæc ſententia atrociſſimam iniuriam Deo infert. Et D. Auguſtinus lib de duabus animabus cap.6. quòd peccati auctorem Deum nemo niſi ſacrilegus dicat. Euſebius Cæſ 6. præp. cap 5 quòd hoc dogmate nihil ſceleſtius excogitari poteſt. Et Philo Iudæus lib. de profugis, *Si mortali*, inquit, *parenti conuitiatus luit ſupplicium, qua pœna dignus videri poteſt qui malè loqui ſuſtinet de parente, Creatoréque rerum omnium? & quod poteſt eſſe conuitium grauius quàm contendere non ex nobis mala prouenire, ſed ex Deo?* Non plura modò de hac blaſphemia, iterum eam exagitandi recurret occaſio, cùm de errorum Fludi breuiculo, vbi loca illius afferemus.

Flud Atheus nullius Religionis.

HÆresum omnium sedimentum est Atheïsmus. Si autem aliqua doctrina ducit ad Atheïsmum, maximè Caluinismus, cuius est hæc feralis sententia Deum esse auctorem peccati quod perinde est ac dicere Deum non esse. immò satius esset negare Deum, quàm ei talem iniuriã irrogare. Audi D. Basilium lib. quod Deus non sit auctor malorum, *stultus igitur*, inquit, *& verè sensu alienatus, qui dixerit non est Deus. similis item huic est, qui tanta insania capitur, vt Deum malorum causam dicat. párque priori scelus existimauerim, quoniam ambo Deum similiter negant. Alter quidem non esse omnino dicit: alter verò non bonum esse affirmat. si enim est malorum causa, non bonus est: si non bonus, neque Deus itaque vtrobique est negatio Dei.* Quibus præterea gradibus quis in Atheismi barathrum deuoluatur, docet Odoardus VVestonus Anglus li. 3. de triplici hominis officio cap. 17. Verùm non est alia via pronior, vt mihi videtur, quàm pruritus discendi curiosa. Quanta autem prurigine in hoc laboret Fludus, patet ex artibus, quas pertractat, nempe Iudiciaria, Chyromantica, Genethliaca. Geomantica. Egregiam verò descriptionem animæ gyrouagæ, palantis & fluctuantis inter varias opiniones, & in fato quiescẽtis accipe ex S. Paulino ep. 36 ad Iouium, *Proprij*, inquit de anima, *status exul*

per omnes cogitationum suarum, aut alienarum opinionum deuias vias spargitur, per Philosophos vaga, ac per ariolos curiosa, superstitioni religiosa, religioni profana spem inter ac metum semper ambiguis affectionibus pendens, hinc omni vento cuiuslibet doctrinæ circumlata, quia diuini timoris vacua sapientiæ caput non habet, quasi truncis sensibus, vnde intellectum rerum trahat, vbi sententiam statuat ignara, cùm se frustra omnibus cæli, terrâque regionibus peruagata cogitatione distraxerit, in creaturis conspicuis & in omnibus vacuis casuum, atque fatorum vim vniuersam, qua mundus agitur, constituit tam falsi, prauique tenax, quàm nuntia veri.

Paradoxon fortè alicui videbitur quod Fludum, qui tam magnificè & religiosè de Deo, & Trinitate loquitur, repono inter eos, qui sunt primæ, ἀθεΐας siue Indeitatis, & non solùm inter defensores secundæ putà Hæreticos, vt loquar cum Philotheo Patriarcha Constantinop. in Encomio sanctorum Patrum Basilij, Gregorij, Chrysostomi. At cessabit hæc admiratio, si perpendamus quòd Propheta psalm 13. non ait, *Dixit insipiens in ore suo non est Deus*, quia, vt aduertit D. Augustinus, nemo audet dicere, etiamsi ausus sit cogitare. & hoc docemur exemplo Lucilij Vanini, qui suum Atheïsmum texit vsque ad vltimum spiritum exclusiuè.

Accedat quòd vt postea euincam ex Fludi doctrina, hauriatur praua de animi immortalitate opinio: ex hac autem Indeïtas, vt ita

dicam. Cuius præterea non leue argumentum est religionum indifferentia: nam, vt dicit Tertullianus alicubi, pluralitatem Deorum, nullitas Deorum est: ita pluralitas religionum, nullitas Religionum est. At Flud docens secundo Certaminis pag 37. tam Romanos quàm Lutheranos esse luminis occulti & sapientiæ possessores, est de genere Politicorum, quales fuerunt Symmachus & Themistius, qui orat. 17. laudat Valentem Imperatorem quòd permittat cuique Deum colere suo ritu, qui, vt ait, rationem & viam qua coli velit, non præscripsit: sed cuiusque iudicio & volũtati permisit: & addit Deum delectari varietate opinionum circa ipsum, & ideo se occultauit. Idem dixerat orat. 12. ad Iouinianum, eadem ratione vtitur Symmachus apud Prudentium lib post. contra ipsum sect. 7. dicens, *Vno itinere non potest perueniri ad tam grande secretum.* Sed veriùs & prudentiùs locutus est verè prudens ille Poëta;

Longè aliud verum est, nam multa ambago viarũ
Anfractus dubios habet, & perplexius errat:
Sola errore caret simplex via nescia flecti
In diuerticulum, biuiis nec pluribus anceps.

Non ero longior in euellendo isto stupido errore, quod quiuis in sua fide ac religione saluari possit: nam iam in simili argumento versatus est Leonardus Lessius in appendice Consultationis, quæ fides & religio sit capescenda. Erras, ô Roberte, & vehementer erras. Si enim, vt ais, homo religionis Lu-

theranæ,

theranæ simul cum homine Religionis Romanæ est particeps sapientiæ lucidæ quæ ducit ad vitam, cur non Arrianus, Macedonianus, Nestorianus, Eutychianus, Pelagianus, Donatista, Caluinista, &c. Erras, inquam, nam sicut vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma: ita debet esse vna Religio, qua colatur Deus, ad quem diuersis & contrariis semitis non potest perueniri,

Simplicis ergo via dux est Deus, ille per vnam
Ire iubet mortale genus.

Sed quid Lutherano cum Romano? quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas lucis ad tenebras? quæ côuentio Christi ad Belial? quæ pars fidelis cum infideli? nonne Lutherani dissident à Romanis in pluribus fidei capitibus? Dissident in numero Sacramentorum, in necessitate operum, in libertate ea exercendi, &c.

Ite procul gentes, consortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei.

Tempus est vt colorum varietate dimissa errorum Fludi copiosissimam densitatem in quibusdam manipulis colligamus: vt fidei calculo numerata horreis memoriæ compendiosa breuitate condatur. Verba sunt Cassiodori paucis mutatis, lib. de an. c. 19.

Delibatio errorum Fludi.

PRæfabor cum D. Hieron. 1. aduersus Iouinianum ferè initio: proponam breui-

ter aduerſarij ſententias, & de tenebroſis libris eius quaſi de foueis ſerpentes protraham, neque ſinam venenoſum caput ſpiris maculoſi corporis protegi. Inſiſtam autem præſertim in examine hiſtoriæ Phyſicæ Microcoſmi, in qua tamen de anima noſtra loqués eſt tam lubricus, vt vix teneri queat. Nolo autem mirari, ſi eius ſententiæ ſe collidant. nam mentitur iniquitas ſibi, & impios arripit ſpiritus vertiginis, dicat quantum volet Fludus ſe ephecticè loqui, & recitatiuè, non aſſertiuè; recurrat ad ſenſus myſticos, & dicat latere myſterium, operæpretium me facturum arbitror, ne fucus fiat Lectori, ſi ea quæ ſcribuntur à Fludo, & minimè improbantur, in ſenſu plano refellam. de eius obſeruationibus Aſtrologicis iudicét alij, ſpernant alij Chiromantica, irrideant alij Cabaliſtica, execrentur alij Geomantica & Genethliaca, in ſoli Phyſiologia gradum ſiſto. naturam Dei, Angeli, & animæ humanæ tueri immaculatã à ſpurcitiis Fludi mihi propoſitum eſt, extra hãnc lineam non excurro. quantum enim interſit ad ſalutem ſentire de Deo in bonitate, cùm ſit obiectum noſtræ felicitatis, nemo neſcit. ſicut enim hîc audiemus: ita & illic videbimus. Multum etiam intereſt rectè opinari de Angelo, qui, vt ait S. Gregorius Nyſſenus, eſt frater animæ. tum quia aliqui Angeli nempe boni ſunt per gratiam diuinæ conſortes naturæ, & gloriæ cohæredes

Quanti autem ſit momenti rectam habere de anima noſtra opinionem, quid attinet dicere? quis enim pietati operam det, ſi ſibi perſuaſum habeat eam non eſſe ſui iuris, eam eſſe interitui obnoxiam? quare breuiculum errorum Phyſiologicorum Fludi in tres claſſes diuidam. non ſunt tamen omnes eiuſdem gradus, & eadem cenſurâ digni: nam aliqui ſiſtunt in gradu temeritatis, alij pertingunt ad hæreſim, alij aſcendunt vſque ad blaſphemiam.

Primus ordo.

FLVD Theologaſter, ſutor vltra crepidam ineptè admodum loquitur de rebus diuinis: nam in Meteorologia Coſmica lib.1. cap.7. tam confusè loquitur de Verbo, vt videatur internum & ſubſiſtés cum externo & accidentali confundere, & Spiritum cum aëre & vapore, & 1. Microcoſ. cap.7 de Patris ſapientia, ait, *Hic Demogorgon trinus & vnus, ſiue hæc Trinitatis medietas.* Si Filius eſt trinus & vnus, quid Pater & Spiritus ſanctus ſunt in Trinitate? quod ſi Filius eſt medietas, igitur Pater & Spiritus Sanctus altera medietas. tum quia ratio partis non habet locum in Deo, vbi eſt numerus abſque numero, vt volunt ſancti Patres, vt D Aug. tract.39. in Ioannem, qui & tres cōtra Maximinū c.10. negat perſonas eſſe partes vnius Dei, & hæreſi 74. damnat eos qui diuidunt

deïtatem in tres partes. Notantur etiam Manichæi qui dicebant Iesu Christi substãtiam esse partem substantiæ Patris æterni. De Patre & Spiritu Sancto non est sanior loquela lib. 10. Microcos. cap. 1. vbi cum auctore libri de anima cap. 10. enumerans varias significationes Spiritus, ait, *Etenim ipse Deus dicitur spiritus, atque sic etiam aërem istum & ventum ac flatum ad cordis thalamos attractum nuncupamus spiritum*: quasi verò sic & eodem modo dicatur spiritus quo Deus. & cum eodem auctore cap. 9. loquens de identitate spiritus & animæ, ait, *Idem spiritus ad seipsum dicitur, & ad corpus anima.* Sed addit quòd idem sunt essentia, sed proprietate differunt non minus quàm Pater in Trinitate à Spiritu Sancto, qui tamen ambo idem sunt essentia supersubstantiali. Inepta planè comparatio nam Pater & Spiritus Sanctus distinguũtur proprietate personali reali: at inter spiritum & animam neque realis neque personalis distinctio est. sed eandem rem vocamus animam provt informat corpus, & spiritum quatenus contemplatur vel intelligit. Deinde si stendo est in eius comparationibus, sequitur aut Patrem & Spiritum Sanctum non habere eãdem numero naturam, aut quod eandem habeant aër & ignis; agẽs & patiens; materia & forma: nam ibidem dicit quòd spiritus & anima differunt vt materia & forma, vel agens & patiens, vel aër & ignis.

Secundò de Physica Dei perfectione detrahit, conuellendo multa eius attributa vt simplicitatem, actus puritatem, infinitatem inmutabilitatem, dum docet Deum venire in compositionem, quod est consequens ad id quòd asserit nempe Deum esse formã & animam internã mundi. & in eo quòd vult mẽtem humanã esse de eadem essentia, cuius est mẽs diuina hoc enim est facere Deum partibilem. sed nominatim malè sentit de diuina immensitate: nam quamuis hac in parte imponat Christianis vt visum est cum de eius mendaciis: tamen tract. 1. Microcosmi sect. 1. lib. 3. cap. 9. ait, quòd non aliter Deus est vbique præsens quàm Sol ratione radiorum, quod est esse tantùm præsentem virtualiter, & non secundùm præsentiam substantialem, & lib. 7. cap. 4. ait, quòd in sanctis Scripturis legitur quòd Diabolus sit mundi visibilis & materialis princeps, qui sui regni visibilis summitatem non minus possidere cupit, quàm rerum Creator in vniuersalis peripheriæ cacumine constanter sedere creditur: & 4. Macrocos. c. 10. esse vbique mediante Sole.

Tertiò sentit de Deo in malitia, perfectionem Dei moralem destruit de eius sanctitate detrahendo, dum eum facit auctorem omnis peccati: ex his erroribus duos assumo confutandos, quorum vnus pertinet ad perfectionem physicam, alter ad moralem.

Deus apud Fludum est forma interna, & anima mundi.

ETHnici aliqui, vt Ægyptij, quorum hac in re superstitionem exprimit Orpheus apud Euseb 3. præp. cap. 3. aliàs 9. existimauerunt hunc mundum esse magnum quoddam animal, cuius caput est cælum, Sol & Luna sunt oculi, æther est mens, reliquæ mundi partes reliquum corpus conficiunt. quod dixi de Ægyptiis testantur versus Serapidis apud Macrobium 1. Satur. cap. 20.

Sum Deus ijs constans membris tibi qualia dicā
Ornatus cæli vertex: venter mihi pontus:
Sūt mihi terra pedes: summo stant ætheris aures.
Sunt oculi nitidi splendentia lumina Solis.

Idem tribuitur Platonicis, & expresse habet Alcinoüs in breuiario doctrinæ Platonicæ cap. 12. eadem de causa Lactantius 7. institut. cap. 3. reprehēdit Stoïcos qui dixerunt mūdum esse corpus Dei ipsum animantis, vbi postquam subministrauit multas rationes qualis est illa fore vt dum terra aratur, Dei membra lacerētur, subdit, *Quod si hoc vanum & absurdū est, tam igitur ipsi eguerunt, quàm hæc indigent sensu, qui non perspexerunt diuinum quidem spiritum esse vbique diffusum, eoque omnia contineri, non tamen ita vt Deus ipse, qui est incorruptus, grauibus & corruptibilibus elementis misceatur.* Notatur etiam Varro à D. Augustino

lib. 4 de Ciuit cap. 31. & lib. 7. cap. 6. Platonicos secundùm corticem literæ intellectos secuti sunt quidam noui Platonici, vt Iordanus Brunus apud Mersennum agẽtem contra Deïstas parte 1. c 16. & noster Flud mox citandus, quibus omnibus præiuisse videtur Trismegistus in Pimandro cap. 10. dum ait, *Itaque mundus ex materiali quodam & intelligibili compositus est: mundus animal primum, homo secundùm, post mundum animal*. Hęc generatim de anima vniuersali mundi: nam de eius partibus præcipuis fuerunt variæ opiniones, & generalis ethnicismus fuit astra esse animata, & Deos esse, vt videre est apud Eusebium 1. præp. cap. 6. & Theodoretum ser. 3. contra Græcos.

Hactenus de iis qui dixerunt mundum esse animatũ, & quidẽ eâ anima quæ sit ipsemet Deus. nunc proponenda opinio eorum qui hanc animam esse aliquid aliud à Deo dixerunt. Flud tract. 1. Microcosmi lib. 4. cap. 10. postquam dixit quòd mundi anima secundùm nonnullos est essentia quædam omnia replens, omnia ad centrum vsque penetrãs, omnia colligans atque connectens, vt vnam reddat totius mundi machinam, sitque tanquam vnum Monochordum tribus creaturarum generibus resonans vnico flatu tantummodo, & vnicâ vita, deinde quasi aliam opinionem subiiciens, ait, *secundùm alios describitur anima mundi esse virtus Dei, & quasi ipsius naturæ Deus* (sic loquitur de Sole) *seu ani-*

ma media natura per quam Deus in mundo vbique esse, cum implere, moderari, iugiterque conseruare dicitur; & paucis interiectis, *quam quidem animam in Sole præcipuè collocari crediderunt*: & postea infert his verbis, *Concludimus igitur hanc mundi animam esse quasi lucis primo die creatæ actum & essentiam submittentem sese ex cœlo empyreo per cœli crystallini cribrum in inferiora, & seipsam quarto die in Sole tanquam in cœli ætherei centro & corde congregantem, ac exinde circulariter vbique sese eiaculantem & extendentem.* Et in Medicina tract.1.sect 1 pag.1.lib. 2 cap.1.ait, quòd mundi anima nihil est aliud quàm lucis immortalis ab æternitatis radio missæ cum subtilissima & dignissima naturæ humidæ seu aquarum è tenebrosi chaos sinu exilientis portione vnio: & 1.Certaminis spiritum empyreum seu lucem creatam esse mũdi animam, cuius actus internus est Deus, & animam mundi hoc modo sumptam fusè propugnat lib.2.Certam. & ducit rationem vnam ex eo quòd debent attrahi igniculi qui sunt in aëre atomi vitæ, & scintillæ in spiritu mundano natantes, quibus debet nutriri animal; in quo vides quòd Epicuri fabros reducit. Attamen si Flud intra hos limites se continuisset, erroris notam non propterea meruisset; neque si tantùm voluisset mundum esse metaphoricè animatum, vel Deum esse eius animam extrinsecam & assistentem, quomodo solent explicari Platonici: & benè ait Philo lib. *quòd*

mundus sit incorrupt. quod prouidentia est anima mũdi. at Flud vult præterea Deum esse formam & actum internum mundi, neque vllam causam formalem creatam agnoscit, ex quo capite malè audiunt Almariani apud D.Thomam 1.p q 3.a.8. dicentes Deum esse principium formale omnium rerum: & propterea hæc Almarici doctrina non tam vt hæretica quàm insana damnatur cap.2.de summa Trinitate, vt refertur in Decretalibus Gregorij IX tit.1. & reuera, vt ait Eusebius citatus, non est pium coniunctum mũdo Creatorem, vt animam corpori putare: adesse autem ipsum vniuerso mundo, prouidere, ac gubernare Scriptura diuina docet: & ratio est quia si Deus esset forma informans, esset imperfectus, veniret enim in compositionem cum creatura, & haberet rationẽ partis quæ est minus perfecta quàm totum, & esset subordinatus actioni agentis superioris vnientis ipsum cum comparte, non enim physicè se vnit anima cum materia.

Et ne quis dicat quòd dum Flud ait Deum esse formam, hoc intelligit de extrinseca & in genere efficientis, non autem quod ingrediatur compositionem, audiat quid dicat lib. 3. Microcosmi sect. 1. cap. 9. *Proinde formæ increatæ seu cœli Trinitatis substantia, quæ merè & in se forma est, existit spiritus seu substantiæ cœli empyrei anima: & cœli empyrei compositio est spiritus ætherei forma; ac illa denique cœli*

aetherei substantia est forma creaturarum & partium cœli inferioris. Audisti compositionem ex Deo & cœlo: tum quia passim ait Deum esse actum internum, quod est proprium formæ componentis. tum quia excludit l. 1. Certaminis, omnes causas formales præter Deum. in quo hominis constantiam agnosce, qui iam citatus docet cœli empyrei compositionem esse formam spiritus ætherei, & lib. 2. Certam. quòd spiritus inspiratus in mundum ei loco animæ specificæ se habeat.

Dictis supra accedat quod D. Hieronymus epist. 59 ad Auitum, inter errores Origenis refert illum de animatis astris, & dicere alias creaturas præter Angelum & hominem esse capaces intelligentiæ, est dicere esse capaces beatitudinis. in quo errat prætereaFlud, vel potius delirat dū mari, terræ, & aliis partibus mundi tribuit vitam, sensum, & rationem. Suam autem matæologiam conatur stabilire ex multis Scripturæ locis: & inducit ad hoc trium puerorum Canticum, & responsionem præoccupat dicendo, quòd est stulta distinctio de vero sensu, & ratione metaphorica. Ain Flude? igitur tenebræ sunt animatæ, quia suo modo benedicunt Domino. Igitur stulti tuo iudicio sancti Doctores Ecclesiæ, qui in huiusmodi Scripturæ locis agnoscunt sensum metaphoricum. Sic Cæsarius dial. 2. interrogationi 104. & obiectioni, quæ sumitur ex Cantico, respondet quòd creaturæ lau-

dant Deum, in quantum conferunt homini, cuius est laudare. Benedicunt igitur, quia benedicendi præbet occasionem, & in Scripturis frequens est prosopopeïa. Possem hîc sigillatim singula loca perpendere, sed ex vno vel altero simile sit de aliis iudicium: & ex vno vel altero sanctorum Patrum testimonio disce modum explicandi Scripturas; ac primùm audiatur S. Basilius, qui in Comment. in Isaiam illud capitis primi, *Audite cæli, & auribus percipe terra*, ait sumi metonymicè, addens, *hoc eò dixerim, vt ne qui vestrum sinant se hinc pertrahi in fraudem erroris, vt arbitrentur cælum & terram animata esse.* In eodem loco metonymiā etiam agnoscit D. Hieron. & addit, *Quidam cælū & terram quasi animantia ad audiendum prouocari putant, iuxta illud quod in alio loco dicitur*, qui respicit terram, & facit eam tremere, *cùm hoc potestatis Dei sit, non terrenæ intelligentiæ.* Puto quòd simili delirio ac Flud laborabat Xerxes dum iussit mare flagellari. Pari quoque stultitia detinebantur olim Germani digni risu, qui, vt refert Philo Iudæus libro de Somniis, solebant æstuanti mari occurrere strictis gladiis, quasi mare esset timoris & fugæ capax. Non aliter igitur sentit mare & obedit, quàm quia diuinæ potestati non potest reluctari. Pro quo iterum audiatur D. Hieronymus, qui explicans illud Matthæi 8. *Tunc surgens imperauit ventis & mari*, ait, *Ex hoc loco intelligimus quòd omnes creaturæ sentiunt Creatorem; quas enim in-*

crepauit, & quibus imperauit, sentiunt imperantem non errore Hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate Conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.

Sed insurgit cum magno bombo quasi decumanus fluctus Flud; *Microcosmus*, inquit, *est animatus, ergo & macrocosmus*. O plumbeum pugionem! quasi verò non sint aliæ analogiæ inter hominem, & mundum. Simile argumentum proponunt Stoici apud Lactantium 2. Instit. cap. 6. qui postquam directè respondit hominem neque generari à mundo, neque mundi tãquam animalis esse partem, & proinde non rectè inferri mundum esse sensibilem, eo quòd homo sit sensibilis, sic retorquet argumentum. nam si mundi pars est homo, & sensibilis est mundus, quia homo sentit: ergo quia mortalis est homo, mortalis sit & mundus necesse est: nec tantùm mortalis, sed etiam omnibus morbis & passionibus subiectus. Scio quòd Flud huiusmodi consequentias admitteret, nam apud ipsum terra est magnum animal, habet suam expirationem & inspirationem. Fluxus & refluxus se habet vt diastole & systole. & quod sunt morbi in homine, hoc sunt aliqua meteora in mundo: & hoc verum esse secundùm quandam analogiam & accommodationem damus: adduci autem non possumus vt credamus terram, mare, cælũ & similia esse prædita vero sensu, & ratione. nam & à tali errore abhorret sensus & ratio.

Deus omnium ſcelerum eſt auctor.

HIc libet exclamare cum D. Hilario lib. contra Conſtantium Auguſtum iam vita functũ non longè ab initio: O miſeras aures meas! quæ tam funeſtæ vocis ſonum audierunt. Sed ne quis dicat nos imponere Fludo, ipſum audiamus ſect. 2. Microcoſmi lib. 1. cap. 2. *Accidit etiam nonnunquam vt Deus ſpiritum mendacem propriis ſuis Prophetis immittat, quo melius impios irretiat, & ad ruinam inopinatam eos adducat. Vnde 1. Reg. 22. tandem prodiit quidam ſpiritus qui conſiſtens coram Iehoua dixit, ero ſpiritus mendacij in ore omnium Prophetarum:* in qua impietate Flud ſuperat Mahometem mitiùs de Deo loquentem apud Euthimium in Panoplia parte 2. tit. 24. & dicẽtem, *Quem Deus ducit, ille rectè ducitur: & quos ille in errorem impedit, illi ſunt qui deſeruntur.* At ſecundùm Fludum Deus datâ operâ impiorum ſaluti inſidiatur, & nihil minus cogitantes ad ruinam adducit, & errorum laqueis irretit, & non ſolùm deſerit lumen, quo poſſent laquei euitari, retrahendo. ex quo videas quàm meritò dixerit Guilielmus Reginaldus lib. 3. Caluino-Turciſmi cap. 17. hac in parte Caluiniſtas, quorum eſt hæc blaſphemia (ait enim Caluinus 1. Inſtitutionum, veriùs deſtructionum cap. 18. § 2. quòd à Deo manat efficacia erroris) peiores eſſe Mahometanis.

Verùm ne quis dicat prædictam blaſphemiam excidiſſe Fludo per incogitantiam, propugnat illam in Medicina tract. 1. ſect. 1. p. 1 lib 1. cap 6. vbi poſtquam ore ſpurciſſimo euomuit quòd Deus eſt auctor boni & mali, tam in Macrocoſmo quàm Microcoſmo (loquitur autem de omni genere malorum, nihil diſcriminis ponens inter malum pœnæ & malum culpæ: nam talem diſtinctionem habet ibi pro friuola.) Subiicit quòd eſt tam proprium Dei hominem in errorem inducere, quàm beneuola faciei ſuæ luce eum beare: ita crocitat cum coruis nēpe parentibus, contra quos pariter crocitantes edicit Concilium Trident. ſeſſ 6. can. 6. his verbis, *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona Deum operari non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeovt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ quàm vocatio Pauli, anathema ſit.*

Præterea c. 7. ait, *Nonnunquam ipſum* Deum *contractiua ſua proprietate, videlicet lucem faciei auferendo, operari peccata puniendi cauſa cernimus.* Et poſt allatum illum locum Apoſtoli 2. Cor. 4. *Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium*, infert, *Vnde liquet quòd ſint tam ſpirituales quàm corporeæ & palpabiles tenebræ, quibus Deus tam ſpiritum internum, quàm externum obtenebrare ſolet*: & iterum, *Nonnunquam corda hominum obdurat, & peccare facit, vt poteſtatem in eos exercendo, honorem, gloriam, & omnipotentiam*

mundo enarret. Siccine, Flude, ſentis de Dei bonitate? ex fumo in ignem incidis, vt Græcis eſt in prouerbio: nam vt vites principiũ mali, quod Deo coæternum ponebant Manichæi, non auſi illud Deo tribuere, qua in parte es ipſis deteſtabilior, Deum facis authorem peccati, id eſt, iuſtitiam cauſam iniuſtitiæ, bonitatem malitiæ, miſericordiam ſæuitiæ, fortitudinem imbecillitatis, ſcientiam ignorantiæ, lumen tenebrarum, calorem frigoris, medicinam ægritudinis, prudentiam ſtultitiæ, ſplendorem rubiginis, munditiem turpitudinis. Itane quarum rerum vltor eſt Deus, earum & auctor eſſe credendus eſt? Si licet vti verbis Fauſti Rhegienſis 2. de grat. & lib arb cap. 3. vt de comedente exeat cibus. certè non inde manat iniquitas, vnde iuſtitia, vt ait Proſper 2. de vocat. Gentium non longè à fine,

Inuentor vitij non eſt Deus, Angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit.

Sic Prudentius in Hamartigenia, qui iterum poſt multa pergit:

Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Naſcitur, aut primæ violatur origine venæ.

Miror, Flude, cur tuum Mercurium deſeris? cur Platonicos? Platonizas enim perſæpe de Mercurio piè in hoc negotio ſentiẽte, vt teſtatur caput nonũ Pœmandri, & caput decimum quartum, ex quo aliqua laudat S. Cyrillus Alex. 2. contra Apoſtatam Imperatorem ad tex. 5. de Platone, teſtis eſt liber ſe-

cundus de Repub. Laudant præterea Platonem Clemens Alex. 5. strom. cap. 7 Eusebius 13. præp. cap 3 Theodoretus in Therap ser. 5. nec à magistro dissentiunt discipuli Porphyrius 2. de abstinentia, Maximus Tyrius dissert. 25. At quid ego Ethnicos contra Fludum & similes profero? qui non tantùm sanctos Patres testes locupletissimos reiiciunt, sed etiam Scripturis sacris licet luculentissimis fidem abrogat. non solùm præterea sollicitus in exponendis Scripturis in speciem oppositis, quas sæpiùs iam in bonam partem expositas à nostris obtrudit. irrideat quantumuis Caluinus otiosum, vt vocat, permissum Dei, & vocet friuolam solutionem, quæ sumitur ex sanctis Patribus, nempe quòd cæcitas, obduratio, & peccata sint à Deo tantùm permissiuè: maiorem fidem adhibeo D. Augustino, & aliis Sanctis, quàm Caluino, aut Fludo, *Obduratio Dei*, inquit D Augustinus 1 ad Simplicianum qu. 2. *est nolle misereri, vt non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantùm quo sit melior, non irrogetur:* & sanctus Anselmus in libro de concordia prædestinationis cum libertate cap 2 *Deus mala, quæ non facit, dicitur facere, quia permittit: nam dicitur hominem indurare, cùm non emollit, ac inducere in tentationem, cùm non liberat.* Amplectimur item illam distinctionem de malo pœnæ, & malo culpæ, tanquam vtilem ad enodanda multa Scripturæ loca, & agnouerunt sancti Patres, vt Basilius homilia, quòd

Deus

Deus non sit auctor malorum, vbi ait quòd peccatum est propriè malum pendens à nostra voluntate, at reliqua mala sunt à Deo partim ad bonos exercendos, partim ad medelam eorum, qui deliquerunt.

Licet prædictæ opinionis euersio (quam abominandam & detestandam vocat S. i ro-per respondendo ad obiectiones Vincentianas) sit eius manifestatio, sicut ad capiendam feram in sylua latentem, satis est fieri venatoribus manifestam, quæ est comparatio D. Irenæi l. 1. c 35. tamen aliqua supersunt examinanda, quibus suam blasphemiam tueri vtcunque videtur Fludus, si priùs te monuero illum manifestè abuti loco illo, 1. Regum cap. 22. ad probandum, quòd Deus, propriis Prophetis immittit spiritum mendacem (ex quo est consequens quòd Deus quem impossibile est mentiri, sit quoque mendax;) nam spiritus ille qui comparuit, non fuit proprius Dei Propheta, qui non potest magis mentiri quàm Deus, cùm Deus per eum loquatur. Sed fuit Angelus erroris & dæmon, vt docet D. August. l 83. quæst in 53. cui Deus laxauit habenas acquiescens eius postulationi, & permisit decipere. Vt taceam quòd aliquando in sacris paginis imperatiuum præsens sumitur pro futuro, & significat euentum, & non mandatum.

Obtendicula aduersarij. §. 22.

Primum est, quia operatio mala est de ge-

nere operationum : at si credimus Fludo sacra scriptura docet quòd Deus solus est auctor omnis operationis, igitur est Auctor prauæ. Minor clara est ex illo loco act 17. *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*, in illo 1. Corinth. 12. *diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*: quibus locis per modum glossæ assuit sequẽtia Fludus in Certã. l 1 ad tex. 3. *quibus*, inquit, *luculenter docemur, quòd non sit ipsa natura creata, quæ reuera hæc operatur, sed ipse Deus induens creaturæ imaginem seu effigiem, & in creaturis centraliter existens, ijsque quasi organis vtens, vt mediantibus voluntatem suam tam in cælis, quàm in terra exequatur.* Secundùm est, quia rigor & horror blasphemiæ Fludanæ videtur molliri & mitigari, ex eo quòd dicat Deum peccata operari propter gloriam suam. Propter quod videtur Deus immunis à culpa. Nam intentio bona totam actionem perfundit sua bonitate.

Ad primum non est operosum respondere, & quidem primus locus præcipuè intelligitur de benefico influxu, quo Deus nos cõseruat. Secundus de operibus gratiæ quæ speciali titulo Deo omnium bonorum maximè supernaturalium fonti tribuuntur, & generaliter dicitur quòd prædicta loca & similia, quibus docemur Deum omnia operari, eò tendunt vt intelligamus in omnibus actionibus Dei concursum interuenire, qui tamẽ rectè cohæret cum Dei sanctitate Nec

propterea fas eſt dicere Deum eſſe auctorem peccati, incitare & impellere ad peccata. Nam ait S Chryſoſtomus hom. 23. in Acta præſtare centies defodi quàm Deum per nos malorum auctorem audire. Concurrit itaque Deus etiam in operibus prauis, in voluntatem tamen creatam, quæ eſt cauſa particularis debet refundi culpa. quæ voluntas quodammodo extorquet & rapit à Deo cõcurſum & cooperationem, vt explicatiùs habet D. Anſelmus Dialogo de caſu diaboli c. vlt. & poteſt confirmari ex illa comparatione elegantiſſima vt vocat D. Auguſtinus epi. 28. quam facit D. Hieronymus 1 contra Ruffinum, ſcilicet quòd licet aliquis frumẽtum furatus ſit & manu immunda terræ mãdauerit, non tamẽ deſinit terra fouere, quia vitium non eſt in tritico, quod furto ſublatum eſt, ſed in eo qui furatus eſt: ita non eſt vitium in Deo licet adulteris ſeminantibus corpora, creet animas. Pari ratione ſi aliquis diuinum concurſum ſuffuretur, non eſt vitium concurſus, ſi prodeat actio, cui eſt annexa malitia ex vitio illius qui talem concurſum quaſi Deo inuito extorquet. Nec debet Deus ſubtrahere illum, ſed potiùs officio ſuo fungitur nempe cauſæ vniuerſalis ſi illum conferat.

Ad ſecundum dicitur quòd ſemel poſitum peccatum, & à creatura commiſſum cedit quidem in gloriam Dei, quatenus Deus ex eo elicit aliquod bonum. Nam prudẽtiæ lo-

lerris est etiam malis commodè vti, vt ait Synesius ep. 57. scit enim Deus sugere mel de petra, & oleum de saxo. Scit de spinis colligere vuas, & de tribulis ficus. At quòd Deus procuret peccata, quæ odio prosequitur, & quæ ipsum offendunt, vt inde captet gloriã, hoc est quod non possumus audire. Nec sunt facienda mala vt eueniant bona vt docet D. Paulus ad Rom 3. ex quo loco colligitur, quòd si peccatum directè promoueret gloriam Dei, quicunque committit peccatum, esset potiùs dignus præmio quàm supplicio, tantopere conferens ad gloriam Dei. Et si sunt facienda mala vt eueniant bona exemplo Dei, quilibet potest licitè furari vt eleemosynam largiatur. Potest fornicari vt prolem suscipiat quæ Deo inseruiat. Denique si ad honestandam prauam actionem ex genere suo, satis esset bona intentio, vel quòd ex ea resultet aliquod bonum, hac defensione etiam Iudas se defendere posset. Oportebat enim pro omnium salute crucifigi Christũ, vt rectè discurrit Synesius citatus, & de facto Cainæi vt refert Tertullianus l. de præscript cap. 47 gratias habebãt Iudæ eo quòd præuidens fructum ex passione Christi colligendum, Christum tradidisset. Idem de eisdem vocans Caïanos narrat Epiphanius hæresi 38.

Secundus ordo eorum, qui pertinent ad Angelum. § 23.

IN tertio ordine errores circa animam referam, quare hac in parte breuior ero, quia vt ait Nyssenus, Angelus est frater animæ, & habet similia lineamenta. Vnde non est mirum si Flud loquendo de Angelo in multis lapsus est, cùm tam multipliciter errauerit in Psychologia. Sumo autem Angelum prout se extendit tam ad malum quàm bonum, licet frequentiùs nomen Angeli sumatur in bonam partem. ac in primis videtur Flud nullam agnoscere differentiam specificam & essentialem inter Angelum & animam Quod veresimile fit ex eo quòd ait animam transire in dęmonem, qui transitus, circunscripto morali, non videtur aliter esse possibilis, quam eo modo quo volunt Platonici, nempe quòd dæmon sit animus exutus corpore : præterea ducitur coniectura ex eo quod apud Fludum Angeli & animæ sunt creaturæ cœli empyrei, & sunt eiusdem texturæ. tandé ex eo quod anima sit in corpore vt nauta in naui, & proinde assistat, quod est proprium substantiæ completæ, & non formæ informantis

Secundò, errat in eo quòd extollit Angelum supra Deum. nam si existimat animam esse de Dei substantia, immò ipsam æquat

nis, & non potiùs ex propria voluntate & demerito? si sic, incidit in piurũ Manichæismum, qui est diabolum esse suapte naturâ malum: meliùs Leo Hebræus Dialogo 2. de amore tractans prædictã fabulam, per chaos intelligit materiam primam, & per litigium contraria elementa, iuxta id Poëtæ initio transformationum,

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.

Quintò, perperam sentit de Angeli facultate actiua, & libertate: nam vt iam in effigie dictum est, docet errare eos qui dicunt Angelum aliquid agere, ex quo consequens est carere libertate.

Sextò, errat quoad mores dæmonũ; nam existimat malum Angelum posse resipiscere, & ad viam rectam & sanctam posse institui, contra veram Theologiam, quæ asserit Angelum, ex quo cecidit, non resurgere: & ne dicas ipsi imponi, audiamus ipsum in Genethlialogia l. 3 p 3 c 7. vb postquam dixit dæmones elementares referri ad planetarios, infert, *Vnde facillimum erit inuenire qualis dæmon elementaris in natiuitate dominium, & curam habuerit ac potestatem in corpus nati, qui tamen dæmon imperatur & regitur à mentis præside, non aliter quàm seruus à suo domino, & in recta ac sancta via instituitur, si anima media, & eius dæmon mentem magis respiciant quàm elementarum:* ex quo etiam infertur quod genius ille elementaris de se neque bonus, neque malus est moraliter; sed indifferens vt viam

virtutis, vel vitij capessat, quod est contra fidem orthodoxam, quæ est, Angelorum esse duas ciuitates & societates, vnam bonorum, aliam malorum non quidem naturæ suæ, sed ratione status, quem sortiti sunt pro meritis vel demeritis: nullus enim est Angelus, qui non sit vel à Deo auersus per peccatum, & in malitia obfirmatus; vel ad Deum conuersus, & in gratia confirmatus.

Septimò, malè opinatur de dæmonum habitatione nam 7 Microsmi cap. 4 ait Zodiacum esse diuersorium quorumdam vltorum horribilium incitantium ad ignorantiam, tristitiam, inconstantiam, cupiditatem, iniustitiam, luxuriam, deceptionem inuidiam. fraudem, iram, temeritatem, malitiam: non video autem quinam sint illi vltores, nisi illi qui sunt ministri iustitiæ Dei, praui tamen, nam boni non sunt horribiles. sed fallitur Fludus, nam ex quo mali dæmones debellati sunt à bonis, non est inuentus ampliùs locus eorum in cælo, quod est Angelorum bonorum metropolis, vt loquar cum Theophilo Alexandrino, hæc pauca, alia potuisti notare ex dictis, & notabis ex dicendis.

De

De Angeli constitutione apud Fludum. §. 25.

FLVD de Angelorum natura diuersis in locis loquitur, sed diuersimodè constans in sua inconstantia. In Macrocosl. 4 c 6. ait se sentire cum August. omnes Angelos in initio creationis suæ corpora aërea habuisse & paucis interiectis lineis ait conflatos è spiritualibus cæli empyrei elemẽtis In Meteorologiâ l. 3. de causa meteororũ, ait quòd Angelus est ex aëre tãquam corpore & luce, ignea tanquam mente quæ lux est increata. & libro secundo capite 4. quòd omnes creaturæ viuunt de aere, & consequenter Angeli, qui tamen cibo inuisibili & immateriali vtuntur, quem nullum alium existimo esse quàm obiectum, circa quod versantur: & ibi valdè æquiuocè loquitur de Angelo confundens cum vento, & dicens quòd ventus est naturæ Angelicæ, & consequenter potest dicere quòd Angelus est naturæ ventosæ, non videns quòd illi qui illud Psalmi, *qui facis Angelos tuos spiritus*, explicant de ventis Dei nuntiis, non loquuntur de Angelo qui est natura intellectualis, & longè alio modo est spiritus, ac ventus. Deinde vide quomodo cum præcedentibus maximè quod dicit de luce increata, possit conciliari quòd ait in Medecina tom. 1. tract. 1. sect. 1. pag. 3. lib. 5. cap. 2. nempe quòd species

Angelicæ fiunt ex spisso lucis creatæ, quæ est in empyreo: tandem lib. 4 Macrocosmi cap. 7. ait quod dæmones, qui vtpotè Lucifugi in Septentrione magis habitant, artus calefaciendos soli exponunt. Habent igitur artus, & membra organica. Dicat nobis Fludus an natiua, an ascititia & assumpta; si assumpta deforis, quid curant de illis calefaciendis, an ex frigore sentiunt dolorem, vt facit corpus humanum ex societate animæ intrinsecè informantis? Deinde ignis latens & lux ex qua Angelus componitur, nunquid est sufficiens ad pellendum frigus. Si corpora organica sunt natiua, vbi est differentia inter Angelum & animam, vel dæmonem & hominem? Præterea si habent artus, non igitur sunt expertes quantitatis, quam tamen negat in Angelis 4. Macrocosmi cap. 2. & tract. 1. Microcosmi lib 8. cap. 3. an fortè alia est constitutio Angeli, alia dæmonis? cùm tamen dæmon nihil amiserit de naturali constitutione.

Sed nullibi clariùs & fusiùs aperit suam mentem de Angeli corporatura, quàm in meteorologia l. 1. membro 2. c 2. dicens cõtra Damascenũ, Thomã, Dionysiũ. cum Basilio, Origene, Gregorio, Mercurio Trismegisto, & tota Academicorum schola, Angelum esse substantiam corpoream: aduocat & subsidium Cabalistarum, qui vocauerunt Angelum alteritatem. At inquit replicabũt Thomas, Damascenus, & alij illius sectæ agnos-

cimus materiam in Angelis, sed verè spiritualem. Quibus inquit replicamus, quòd stella non sit ideo à corporis notione remouenda, quoniam est densior pars circuli sui, qui spiritus est æthereus, & per consequens est valdè tenuis, & rarus. Porrò etiam corpus vtcunque rarum & inuisibile, non magis à corporis legibus est remouendũ, quàm quod est grossum & visibile: at videmus stellam esse corpus visibile densum. nonne igitur negandum est spiritum etiam æthereum esse pariter corpus licet inuisibile?

Hæc Fludus quoad vnam partem, ex qua conflatur Angelus. nam postea quoad aliam, dicit Angelorum internum esse lucem increatam, & externum esse interni speculum. vnde dicuntur agalmata, & probat quia ratione illius interni dicitur Angelus esse in rubo aliquando, & aliàs Iehoua: & in nominibus Angelorum reperitur hæc syllaba *el*, id est Dei.

Refellitur. §. 26.

PEccat in multis Flud, nam præter contradictiones supra notatas, hæc est insignis, nempe vult Angelos esse corporeos; & tamen, vt tetigi, vult esse expertes quantitatis. quod non potest fieri naturaliter: (nam non negamus quin diuinitus possit materia subsistere absq; quantitate) nam ex materia, quæ cõstituit ex parte corpus de genere sub-

ſtantiæ, profluit neceſſariò quantitas & corpus de genere ſubſtãtiæ, dicit neceſſariũ ordinem ad corpus mathematicum, vt vocant, quod conſtat tribus dimẽſionibus. Cęterum quicquid non eſt corpus, ſed corporeum & pertinens ad corpus quale eſt accidens materiale, dicit reſpectum ad materiam præditam quantitate. Secundò ad hominem, an ſubſtantia empyrei, ex cuius elementis vult eſſe conflatos Angelos, eſt expers quantitatis? An corpus rarum licet & tenue, quale eſt ſpiritus æthereus, ſtando in eius comparatione, eſt expers quantitatis? cùm rarum ſit quod ſub magna quantitate ſiue extenſione parum habet materiæ, denſum è conuerſo. An-ne igitur dicendum erit Angelos eſſe expertes quantitatis, ſi ſint corporei, quantumuis eorum materia ſit rara & tenuis? an aër expers quantitatis, ex quo conſtat corpus Angelicum? an aqua, cuius portio empyreum atteſtante Fludo?

Secundò, principaliter, ſi Flud volebat niti auctoritate Patrum loquendo de conſtitutione Angelica, cur non prætulit eos qui ex profeſſo tractarunt de hac materia. præſertim ſanctũ Dionyſium, qui, vt ait D. Thomas opuſculo 15. cap. 17. ſuper alios quæ ad ſpirituales ſubſtantias pertinent, excellentiùs tradidit? Sed hoc parum eſt, fortè hoc fecit ſtudio adhærendi Platonicis, & recedendi à Peripateticis & Scholaſticis, apud quos iam cenſetur temerarium docere An-

gelos esse corporeos. Sed cur nominatim citauit Basilium & Gregorium, relictis iis qui apertiùs suffragantur? cùm D. Basilius hom. *quòd Deus non est auctor malorum*, loquendo de diabolo, dicat quòd eius natura est incorporea. Gregorius quidem, nempe ille qui magni mensuram nominis implet, (nam Theologus & N. ssenus manifestè refragantur) 2. Moral cap. 3 ait quòd Angelus est corpus, sed comparatione Dei, quia est minùs simplex, & propter illam rationem Angelus potest dici alteritas, quia deficit à summa vnitate, puritate & simplicitate Dei, quæ doctrina valet pro explicãdis aliis Doctoribus in speciem aduersis. quam explicationem potuit Fludus discere ex illo suo auctore libri de spiritu & anima cap. 18. vbi ait nihil incorporeum præter Deum, quia infinitus, incircumscriptus, & simplex: & addit alias naturas intellectuales esse corporeas, quia loco circumscribuntur: & quòd anima respectu naturæ incorporeæ, quæ summè incommutabilis vbique est, corporea est.

Tertiò, si volebat sequi ductum rationis, maioris sunt momenti illæ quæ faciunt pro Angeli immateriali simplicitate: nam corporatura Angeli velocitatem retardaret, viuacitatem intellectus obtũderet, vim permeandi corpora hebetaret, nec possent tam multi simul in eodem hominis corpusculo sibi occurrere, vt factum legimus Lu-

cæ 8. vbi habetur dæmonum legionem homine obsedisse, & inhabitasse. At dicit Flud 4. Macrocosm. c. 2. post aliquot Scholasticos malè intellectos, non fore Angelos capaces actionis & passionis, nisi constent materia & forma. quæ consequentia nulla est: nam si semper opus esset vna parte quæ ageret, & alia quæ pateretur & reciperet, tolleretur omnis actio immanens & vitalis, quæ debet recipi in eodem principio, à quo procedit. & ad hoc munus satis est, quòd aliquid constet actu, & potentia, quod habet eo ipso, quòd eductum est è nihilo Vrget Fludus 8. Microcosmi cap. 3 cum pseudo-Augustino toties citato supra, vt plagia eius appareant, Angeli loco circumscribuntur, igitur sunt corporei. Respondemus quòd circumscribi loco, ita vt pars rei parti loci respondeat, est quidem proprium corporis: at circumscribi loco, id est definiri, & esse in vno certo loco, & non in alio est proprium cuiuslibet creaturæ, non autem solius corporis: & ad hoc sat est rem circumscribi terminis essentiæ, & non esse infinitam & immutabilem.

Quartò, ostendit Flud se esse ignarum doctrinæ D. Thomæ, dum ait quòd Thomas & alij illius sectæ replicabunt in Angelis esse materiam spiritualem. nam D. Thomas cum sequacibus 1. p. Summæ qu. 50. art. 2. negat in Angelis esse vllam prorsus materiam, & certè si esset aliqua physica constitutiua corporis, esset quoque affecta certis dispositio-

nibus, qualitatibus, & determinata quantitate: alioquin, quid inseruiret Angelo? Et si D. Thomas, vel quiuis alius orthodoxus diceret esse in Angelo materiam spiritalem, hoc intelligerem de vi receptiua accidẽtis, quæ in creatura incorporea gerit munus simile ei quod præstat materia in creatura corporea: neque sumerem materiam spiritalem chymicè, vt sumit Fludus suo more, nempe pro corpore vaporoso, & tenuis consistentiæ.

Quintò, chimericum est quod dicit Flud Angelum compingi ex increato tanquam interno, & creato tanquã externo, & proinde ex duabus personis fieri vnum tertium. Nam citra vnionem hypostaticam, quæ fit in incarnatione, inauditum est & impossibile, quod Deus veniat in compositionem alicuius. Fatemur quidem Deum omnibus rebus adesse, omnia permeare, creaturis illabi: at quod sit forma informans alicuius, cum quo cõstituat vnum tertium, non possumus audire, hoc enim esset Deo iniuriam inferre, vt visum est in primo ordine næuorum: quàm pulchrum est in opinione Fludi videre dæmonem esse compositum ex aliquo corporeo, & ipsomet Deo: at inquit Flud Angelus est speculum & agalma quod, sumpsit ex D. Dionisio 4. de diuinis nominibus, quem tamen hac in parte reijcit: nunquam autem venit in mentem D. Dionisio, vt diceret Deum intrinsecè ingredi compositionẽ

Angeli: & speculum debet esse omnino distinctũ ab eo quod repræsentat. & vult duntaxat quod sit imago Dei ad eius similitudinẽ quoad fieri potest expressa, bonitatisque eius speciem præ se ferens, siue recipiẽs vniuersam, si fas est dicere, figuræ diuinæ bonitatis pulchritudinem: quod militat contra Fludum. Si enim Angelus esset corporeus, non ita bene, nec quantum possibile est, repræsentaret Dei, qui est incorporeus, pulchritudinem. Secundò, concedimus quòd Deus per Angelos apparuit, & quòd Angelus personam Dei sustinebat, vt proinde modò Deus, modò Angelus dicatur esse locutus: at quòd Deus vllo modo dicatur esse pars Angeli, inficiamur: quod etiã non euincit id quod ait Fludus, ideo syllabam *el* ingredi compositionem nominum Angelorum, vt dum dicimus Gabriel, id est fortitudo Dei. Hoc enim tantùm probat Angelos esse Dei ministros & nuntios, quod est omnino distingui ab illo.

Tandem quod obfirmat Fludum in illa opinione, quòd Angelus sit corporeus, est quia nihil nisi corporeũ capere potest: quod si audit in Scriptura sacra Angelum vocari spiritum, statim existimat esse aliquid aëreũ & ventosum: cùm potiùs debeat cogitare, quod dum agitur de natura intellectuali, spiritus sumitur prout opponitur corpori, alioqui Deus qui dicitur spiritus, esset corporeus: quod potuit scire ex Augustini astro lib. de

libro de ſpiritu & an. cap. 24. *Quicquid enim,* inquit, *corpus non eſt, & tamen aliquid eſt* (puta ſubſtantiale) *rectè iam ſpiritus dicitur*, & quia nihil videmus & euidenter percipimus niſi corporeum, quod eſt minus craſſum inter corpora & magis ſubtile, vt eſt id quod eſt ſpirituoſum & igneum, transferimus ad ſignificandas res incorporeas, quod eſt ſolemne ſacris auctoribus: & ne nobis moleſtus ſit Flud obtrudendo importunè Scripturæ teſtimonia, quale eſt illud ex pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*, ſciat D. Auguſtinum ita explicare, vt dicat Angelos eſſe ſpiritu feruentes, id eſt affectu & charitate. & audiat Euſebium Cæſar 7. præpar. cap. 15. aliàs 5. qui poſtquam retulit locum allegatum pſalmographi ſubdit, *Neque tamen exiſtimes naturas illas ex mortali hîc, & terreno igne, aut ex ventis aëria & rationis experte ſubſtantia præditis eſſe conflatas: ſed quomodo Deum ipſum nuncupare ſolent, qui cùm incorporeus & ab omni ſecretus materia ac per ſe totus, immò verò mentem omnem atque rationem naturæ perfectione tranſiliat, metaphoricis tamen ſpiritus, ignis, lucis, atque aliis eiuſmodi in aures cadentibus nominibus appellatur: ita planè Angelos, Archangelos, ſpiritus, diuinas Virtutes, cæleſtes exercitus, Principatus, Thronos, Dominationes perinde, atque infinita quædam ſeſeque conſequentia ſtellarum ac luminum genera ſpiritales ac rationis compotes naturas ſacræ litteræ nominant.*

Tertius ordo eorum qui pertinent ad animam. §. 27

HIc libet paulò diutius immorari, quia propter animam tota Philosophia vigilat, vt ait D. Augustinus lib. 3. contra Academicos cap. 17. tum quia animæ notitia est gradus ad cognitionem Angelorum; nam, vt ait Richardus de S Victore 3. de contẽpl. cap. 6 nescit quid de spiritu Angelico sentire debeat, qui spiritum suum priùs non cogitat. Est item scala ad Deum cognoscendum, vt docet Clemens Alex. 3. pædagogi c. 1 percurram itaque errores qui in hac materia occurrunt, & ostendam Fludum esse illis omnibus infectum.

Primus error,
Anima non est ens creatum.

In hoc errore fuerunt Manichæi, teste D. Augustino hæresi 46. Priscillianistæ apud eundem hæresi 70. Gnostici referente sancto Irenæo lib. 2 cap. 31 Mahometus, vt refert Æneas Syluius epist. 396. qui dixerunt animam esse partem Dei, & eiusdem naturæ cum eo, ex quo sequitur esse quid increatum. In parte hac hæreticorum Patriarchæ fuerunt Philosophi, vt loquar cum Tertulliano, Stoici & Platonici: nullus autem ita clarè loquitur sicut Plutarchus lib de quæ-

ſtionibus Platonicis, ferè initio dicens, *Non ſolùm opus Dei eſt, verùm pars quoque, neque ab eo, ſed de eo, & ex eo eſt ficta.* & ante poſuerat diſcrimen inter generationem & creationem, ſiue effectionem, quòd à Creatore ſiue artifice opus eſt alienum: at quod eſt genitum, eſt fragmentum & portio genitoris.

In hac inſania & delirio (ſic enim vocatur à D.Chryſoſtomo hom.13. in Geneſ. ſicut & ingens amentia à Photio codice 179. vbi refertur impius Agapius dicens animam eſſe eiuſdem naturæ cum Deo) prædictos hæreticos & Philoſophos ſuperauit Flud: nam non ſolùm dicit animam eſſe partem Dei, eſſe de eſſentia Dei, ſed eſſe ipſúmet Deum. Videamus ſingula, l.4 Macroc. c.9. ait, quòd *Tertia proprietas animæ eſt vt ſit puriſſima, ſimpliciſſima, ſpiritualiſſima.* Quid potuit ampliùs dicere de Deo? Sed hoc nihil eſt, tract.1. de Microcoſ. port. 4. lib.3. p.3. cap. 1. ait quòd *Mēs humana habet ſuperſubſtātialitatem, æternitatem, immutabilitatem, impaſſibilitatem, & maieſtatem in ſe eſſentiæ diuinæ*: & infra, *Per ſe, & in ſua natura eſt ſuper omnes Angelorum ordines, & per conſequens Deo continua*: & portione 2. cap.1. *Videmus*, inquit, *quòd mens humana ſit de eadem eſſentia, cuius eſt mens diuina*: & ſect.1. libro 13. cap.1. *Non malè anima à nonnullis definitur eſſe res incorporea omni decore lucis adornata, ſanctæ Trinitati aſſimilata, atque æternæ gloriæ coæquata*: & cap.2. ait quòd eſt Deus, cùm ſit

ſpiritus increatus, atque radiis eſſentiæ increatæ à Creatore non minùs indiuiſibilis, quàm lux aut iubar à Sole: & in Anatomia tritici dicit mentem humanam, ſeu radium mentalem eſſe Verbum ipſum, cùm ſit emanatio immediata à fonte vnitatis, & lucis, & illud Verbum eſſe Meſſiam. Poſſem ex aliis reum huius blaſphemiæ declarare Fludum. ſed hæc teſtimonia ſunt irrefragabilia; nunc illum verbis Prudentij in Apotheoſi poëmate 5. aggrediar *--- deſine noſtræ*

Inuidiam conflare animæ, quòd ſit Deus, aut quod
Portio parua Dei, cùm Chriſto abſcindere quicquã,
Et reſecare Deo partem, vel carpere tantùm
Numen non liceat plenum ſibi ſemper & in ſe.

Deſine, inquam Flude, in Dei iniuriam tantã animæ humanæ attribuere dignitatis excellentiam, quam ipſemet lib. 4. Macrocoſ c. 11. minorem agnoſcis quàm Angelum in modo intelligendi, & conſequenter eſſendi: nam modus operandi ſequitur modũ exiſtendi, & ei commenſuratur. Vide etiam quomodo tecum conſentias, qui ſect. 1. Microcoſmi libro 10. cap. 2. aſſeris de eadem anima, *Nec quidem etiam pro parte capienda eſt, ſed pro creatura Dei, neque etiam de ſubſtantia Dei*, cuius rationem (quam verbatim ex auctore libri de ſpiritu & anima cap. 24. exſcripſiſti) reddis. *ſiquidem* inquis Deus eam ex ſemetipſo feciſſet, nequaquam vitio, paſſioni, mutabilitati, aut miſeriæ eſſet ſubiecta, quam rationem ante reddiderant ſancti Patres, vt Pru-

dentius *supra*

Absurdè fertur Deus, aut pars esse Dei, quæ
Diuinum, summumque bonum de fonte perenni
Nūc bibit obsequio, nūc culpa aut crimine perdit.

Et D. Chrysostomus homil. 11. ad populum Antioch. *obliuioni autem & ignorantiæ, & tristitiæ, & curis obnoxiam ipsam* animam *reddidit* Deus: *& hoc fecit ne ad propriam generositatem respiciens maiorem propria dignitate opinionem concipiat. si enim cùm hæc ita sint, quidam dicere sunt ausi, quòd substantiæ Dei est, si ab his absoluta esset passionibus, ad quid furoris isti non processissent?* Et ne fortè Flud tergiuersetur, dicens aliud esse loqui de anima, aliud de mente (quam falsò loco proximè allegato dicit nulli passioni, aut mutabilitati esse obnoxiam) meminerit se in superioribus animam Deo coæquasse. Deinde anima humana est eadem res cum mente humana, vt ipse fatetur lib 13 Microcosmi cap. 3. præterea in ipsomet animæ vertice, & eo quod eminet in anima, scilicet mente, agnoscunt mutabilitatem sancti Patres, sic Cassiodorus libro de anima cap. 1. *Mens autem*, inquit, *dicitur ,id est à Luna, quæ licet varia vicißitudine commutetur, quadam se tamen in id quod fuit, perfecta nouitate restituit. modò enim tribulationibus attenuata quasi probatur obscura: modò iterum in vigorem naturalem lætitia commeante rrparatur.* Similia dicit auctor libri de spiritu & & anima cap. 11. non plura de eo errore, contra quem militant Theologi cum D.Tho-

ma 1 p qu.90.art 1.& Hæreſeomachi,vt Alphonſus à Caſtro verbo *anima* hæreſi 4. cùm autem Flud nihil contra nos vrgeat, non puto eſſe conueniens ei arma ſubminiſtrare.

Secundus. Anima eſt creata in cælo empyreo ante corpus. §. 28.

HIc error pugnat cum præcedente, ſed non eſt mirum: nam veritatis ſimplex via, falſitatis autem ſemitæ multæ. quod autem Flud huius erroris ſit particeps, patet ex eo quod lib.4. Macrocoſmi c 11. & 2. numerat animam inter creaturas empyrei, quæ factæ ſunt cum empyreo, ſicut plantæ cum terra. Secundò, quia loquens de deſcenſu animæ in corpus ſect.2. Microcoſmi port.4. lib.3 p.3. cap.1 ait, quòd animam noſtram traducunt per ſuas hierarchias Angeli, antequam corpus ſubeat, & poſt Agrippã 3. occultæ Philoſophiæ cap.38. docet quid accipiat à quolibet ordine, & cap 7. de eodem deſcenſu, vbi quid accipiat anima à quolibet cælo: nunquam verò iſtum deſcenſum ſymbolicè intelligi dicit. Tertiò, ſect.1. Microcoſmi lib.8.cap.1. docet quòd anima contra ſuam voluntatem commigrauit in corpus tanquam carcerem: & approbat ſententiam Platonicorum, quòd non ſit animis naturale cum corporibus vitam degere; & addit quòd violenter deſcendit in corpus, ſicut ignis deorſum. tamen Deus voluit hæc duo

extrema coniungi, vt homo tam superiora, quàm inferiora intueretur.

Hunc errorem Flud ebibit ex Platone in Cratylo si tamen legit, & citat Theodoretus 5. contra Græcos ferè initio, *Pythagoras*, inquit, *& Plato populum nobis animarum, sed carentum corpore proponunt, easque animas, quæ in aliquod peccatum inciderint, aiunt supplicij causa in corpora destinari. Ideoque Plato in Cratylo (hoc est corpus) (hoc est sepulchrum) vocat, tanquam anima in corpore sepulta sit.*

Platonicos secutus est Origenes Philosophorum pannos nitens nouo & firmissimo Ecclesiæ consuere vestimento, vt loquitur Theophilus Alexand. epist. 1. Paschali, qui fusè impugnat Origenem. Impugnatur etiã aliis Patribus, vt Hieronymo passim, Augustino 11. de ciuit. cap. 23. Cyrillo Alexan 1 in Ioannem cap. 9 viginti tribus argumentis, & damnatur à Concilio generali quinto & sexto, act 11 & Bracharensi 1. Canone 6. Sed quia Flud non exprimit motiuum, propter quod animæ detruduntur in corpora (nisi quòd ait ideo sociari, vt anima tã superiorũ, quàm inferiorum notitiam hauriat, tanquã si ei non sit naturale iungi corpori, non alium modum cõnaturalem habeat cognoscendi ea, sicut habet Angelus) ideo nunc satis sit dicere, quòd Flud in eo quod asserit animas extra corpus & ante corpus produci, se opponit rationi, quam suggerit Aristoteles 12. Metaph. cap. 3 nempe non esse con-

sentaneum, vt forma existat antequam sortiatur suum effectum formalem, & in sui prima institutione frustretur suo fine, qui est conflare vnum compositum cum corpore. Deserit etiam sanctos Patres & Theologos. nam præter allatos accipe decretum sancti Leonis epist 93 cap 10. *Quam imputatis fabulam*, inquit, *ex multorum sibi erroribus texuerunt. sed eos omnes Catholica fides à corpore suæ vnitatis abscidit, asserens constanter atque veraciter quòd animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est Creator, & corporum.* Legatur & sanctus Gregorius Nyssenus lib de creat hominis cap. 29 & 30. & Cæsarius dialogo 3. ad qu. 151. locum infra dabo. Audiat item Flud suum pseudo-Augustinum l. de spiritu & anima c 41. *Dicimus autem*, inquit, *rationales animas pro essentia fieri quotidie de nihilo nouas, sed pro simili natura ex institutione diuina non vtique nouas: quales enim in exordio Deus die sexto masculo, & fœminæ dedit, tales quotidie inspirat singulis noua de nihilo creatione, non noua institutione.* Hæc ille ex aliquo probato auctore: nam cap 45. ex alio sui immemor Platonizat Sed audiatur verus Augustinus libro de hæresibus in septuag vbi loquens de Priscillianistis ait, *Hi animas dicunt eiusdem naturæ atque substantiæ, cuius est Deus ad agonem quendam spontaneum, non tamen in terris exercendum per septem cælos, & per quosdam principatus gradatim descendere, & in malignum*

gnum principem incurrere, à quo mundum istum factum volunt, atque ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari. astruunt etiam fatalibus stellis homines colligatos, corpusque nostrum secundùm duodecim signa cœli esse compositum, sicut hi, qui Mathematici vulgò appellantur constituentes in capite arietem, taurum in ceruice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & cætera nominatim signa percurrentes ad plantas vsque perueniunt, quas piscibus tribuunt, quod vltimum signum ab Astrologis nuncupatur. Hæc & alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis ista contexit. Num Priscillianizet videat Flud qui tam sollicitus est referre Planetas & alia astra ad membra hominis, qui animam detrudit vi in corpus, qui eam traducit per hierarchias Angelorum, & cælorum gradatim, vt ab eis aliquid emendicet.

Tertius, Anima est ex traduce.

Eodem modo, inquit Flud sect.1. Microcos. lib.8. cap.4. *quo Deus inspirauit in deformem & tenebrosam hylam ad mundi existentiam primo creationis die: eodem inquam modo idem spiraculum inspirauit Iehoua in obscuram hominis externi massam, idque non mediatè vti cetera mundi creaturæ illud à mundo acceperunt, sed immediatè ab ipso Creatore factum est.* Ex quo sic infert. *Hinc igitur, vt mihi quidem videtur, nullum potest relinqui dubium, aut scrupulus in illa opinione, quæ asserit animam ex traduce prouenire: namque si*

primum vitæ ſpiraculum ſufficit ad perpetuitatem mundi & continuationem creaturarum eius, quidni ſufficiat itidem ſecundum ſpiraculum, vt præſtet idem ſine repetitione & renouatione in ſucceſsione hominum, quod primum in continuatione & præſeruatione ſpecierum in cæteris creaturis? quare videtur contraria opinio potius derogare poteſtati Dei, quàm ei aliquid honoris addere, quatenus ſcilicet videtur arguere Deum non fuiſſe tam fortem & tam potentem in fine ſuæ creationis, quàm fuit in principio: & concludit quod non eſt opus aſſidua animarum creatione. Similia dicit lib.3.cap. 9. vbi fatetur, quòd maior Theologorum chorus concludit animam corpori infundi, & infundendo creari. Saltans verò extra chorum ait, *Porrò etiam animam ex nouo, hoc eſt de nihilo, ſeu non præexiſtente materia creari veriſimile non videtur, cùm compoſitionis eius materia ſit ſpiritus, forma verò lux, vt ipſi teſtantur Theologi.* Viderit Flud quomodo hæc cohæreant cum ijs quæ dicit lib. 10.cap.2. nempe quòd anima non eſt de materia quatuor elementorum, ſed ex nihilo cum quinto ſpiritu eſſentiali creata, & lib. 4. Macrocoſmi cap.11. locum producam in errore ſexto.

Impugnatur iuxta litteræ corticem, vt sonat & in plano sensu. §. 29.

ANimas esse ex traduce est animas virtute seminis traduci à parentibus ad posteros, ita vt anima educatur è potẽtia seminis, & formetur ex aliquo, quod sit deciduum à parentibus, hic est communis intellectus: in quo sensu notatur, vt erro Tertullianus ab hæreosologis, & patet ex eius libro de anima §.13. *De conceptu animæ*, &c. vbi post multa concludit, *Igitur ex vno homine tota hæc animarum redundantia, obseruante scilicet naturâ edictum Dei*, Crescite, & in multitudinem proficite: *nam & in ipsa præfatione operis vnius* Faciamus hominem, *vniuersa posteritas pluraliter prædicata est*: & præsint piscibus maris, *nihil mirum repromißio segetis in semine*, vt apertiùs Lutherus art.31.& 41. *Nihil est quod dicitur anima rationalis creando infunditur, & infundendo creatur*: *meliùs hac in re ratio decernit, & Poëta dicens patrem sequitur sua proles.* Huius erroris est patronus Flud, vt constat ex primo loco citato, & ratione quam continet. quæ, vt mihi videtur, si aliquod robur habet, non differt ab illa Tertulliani, quæ sic clariùs potest proponi. eadem est ratio propagationis speciei humanæ, quæ est propagationis aliarum specierum mundi, sed aliæ species propagantur virtute seminis & benedictionis Dei, dicentis [illegible]*te, & multipli-*

camini, vel *germinet & producat terra*. Igitur & simili modo propagantur homines absque eo quòd Deus de nouo animam creet. Ad quam rationem respondetur, quod ex illo loco *Crescite, & multiplicamini*, ex quo debet confirmari maior propositio, tantùm habetur, quòd Deus tulerit edictum, & statuerit concurrere ad humanam generationem, quoties erunt debitæ dispositiones: ita vt solus quidem sit auctor animæ: homo verò sit etiam pater alterius hominis, quia attingit vnionem animæ cum corpore, & illud *faciamus* debet retorqueri: nam anima protoplasti & vxoris est à Deo solo producta: productio autem primi hominis quoad animam debuit esse norma & regula productionis aliorum hominum: neque quotidiana creatio animarum derogat potestati Dei. non enim propterea est impotens, si ad exigentiam animæ humanæ nobilioris, quàm sint cæteræ, sibi reseruauit potentiam producendi eam, nec eam vim communicauerit semini. Alioqui dicendum esset diuinæ potestati derogari in opinione Fludi, quæ est Deum solum omnia in hoc mundo operari, & creaturæ vim operandi non esse communicatam. Itaque aberrant qui dicũt animam esse ex traduce, neque debuerunt discedere à choro Theologorum absque vrgente ratione, quæ nulla est: immo sunt vehementes in oppositum. Theologi autem prædicti sun[illegible]on tantùm ij qui dicuntur

Scholaſtici, D.Thomas 1.p.q.118 art.2 & 2. contra Gentes cap.86. Sanctus Bonauentura, & alij in 2.diſt. 18. ſed etiam antiqui Patres, D.Auguſtinus hæreſi 81. D.Hieron.ep. 82.Olympiodorus in Eccleſ.12 ad id *& ſpiritus reuertatur ad eum qui dedit illum.* Hugo Etherianus lib. de regreſſu animarum cap 4. Prudentius in Apotheoſi, poëmate 5.ſed optimè Cæſarius dialogo tertio ad qu.140. *Ceſſet*, inquit, *fabuloſum illud commentum de exiſtentia animarum in ſemine, dum illud ex mare cernitur.* & ad quæſt 151. vbi optimam rationem indicat his verbis, *Ne partim delabi è cœlo animas, & inſeri corporibus falsò exiſtimemus, partim ſeruantes caſtitatem & temperantes, aut ſeminis fluxum patientes velut animarum occiſores calumniemur in lumbo & ſemine animas ſuffocantes:* nam, vt ait Alphonſus à Caſtro 11. *anima*, errore 5.præparato & decocto ſemine, vel etiã deciſo cum impeditur generatio, vel ſemen perit, vel remanet. ſi periit, igitur & anima. id enim mortale eſt, cuius ſemen eſt mortale: ſi remanet, cur non ſequitur productio animæ? quia nempe generatio certum qualitatum concurſum requirit, quæ cùm habeant contrarias, quibus retundantur, ſunt quoque obnoxiæ corruptioni, & conſequenter id quod ab eis pendet. Præterea ſi anima debet educi de gremio materiæ, eſt obnoxia generationi ſaltem vt terminus partialis ſiue formalis, & conſequenter corruptioni. quicquid enim generatur, ſiue per

se, siue per accidens, vel per se secundo, vt forma, est corruptibile. Genesim enim sequitur Exodus, id est generationem interitus, vt ludit sanctus Gregorius Nyss. hom. 6. in Eccles. & Olympiodorus in cap. 3. prædicti libri ad id, *tempus gignendi, & tempus moriendi*. Videatur liber secundus Philosophiæ quæ tribuitur dicto Nysseno, & est Nemesij cap. 6. vbi ostenditur ista cõsequentia, quòd anima esset corruptibilis, nisi crearetur: & certè naturaliter non posset extra materiam subsistere, si ex ea educeretur: educi enim è materia, est ab ea dependere quoad esse & fieri.

Cauilli Fludi retunduntur. §. 30.

FLVD lib. 3. Microcos cap. 9. spiritu contradictionis, non furore diuino, vt putat, percitus existimat se posse conciliare Theologos sacros cum Philosophis mira diuinitate profundis, vt loquitur, nempe Platonicis arbitrantibus animas ab initio creatas temporis lapsu delabi in corpora: & docet quendam alium modum traductionis & propagationis animarum absque eo quòd de nouo creentur, decidi ex substantia cuiuslibet cæli: sic enim concludit, *Manifestum est igitur ex iam dictis animam humanam conflari ex radio merè formali, quam mẽtem appellamus, & receptaculo eius, quod est rationalis ille cæli empyrei Spiritus, atq; ex eius spiritus vehiculo, quod est for-*

ma seu anima aetherea. quae tãdem in suum veluti currum spiritus nempe aetherei includitur, atq; tum facto eo tota illa cõpositio, qua tum Deo, tũ ipsi mundo similis redditur, homo interior in hominẽ exteriorem descendit. Vnde verisimile est, quòd vt praedictae praedictorum caelorum substantiae non creantur de nouo: sic etiam & anima quae est illarum partium compositio, quotidie infundendo non creetur: & ante dixerat, quòd lux primo die creata, quae est anima caeli empyrei, est animarum fons & origo. *Subinde*, inquit, *quotidie de nouo creationes fieri non autumauit Origenes, sed omnes animarum substantias, quas radios supra diximus, ab hoc fonte promanare.* Multa dicit Flud in illo capite tam abstrusa, & secum pugnantia, vt nemo sit qui possit ea enodare, qualia sunt illa. *Cõcludimus igitur quod caelum empyreum, licet ex nulla praeexistente materia, attamen ex forma praeexistente, & prius creata sit factum; quae quidem forma respectu caeli medij, & infimi totaliter est formalis: respectu verò suiipsius ex materia spirituali, & maiori formae portione, atque ita ex luce increata & materia non praeexistente conflatur.* Nam primò, quomodo dicit quòd caelum sit factum ex nulla materia, cùm ipso referente & approbante, sect. 2. Microcosmi port 7. c. 2. dicat Diuus Petrus epist. 2. cap 3. quod caeli erant de aqua, & per aquam: & si conflatur ex materia spirituali, quomodo ex materia non praeexistente? nonne saltem secundùm prioritatem naturae debent partes totum praecedere? Pergit, *Et ista forma increata,*

seu cæli Trinitatis substantia, quæ mera & in se forma est, existit Spiritus, seu cæli empyrei substantia anima: & tamen paulo post addit, quòd anima cæli empyrei propria est creata, nempe lux primo die creata

Sed ad propositum. Modus ille propagationis animarum, quem tenet Flud, nullo modo est admittendus. nam vel existimat huiusmodi cælestes substantias contineri in semine (quod indicat his verbis quæ subdit, postquam ex Trismegisto dixit, quòd mentis & rationis indumentum est anima, & animæ vehiculum est spiritus: *Horum autem*, inquit, *receptaculum est sperma*) & sic contra eum militant omnia argumenta, quæ fiunt contra Tertullianum & Luciferianos, dicentes animas esse ex traduce: vel existimat, quoties generatur homo, mentem humanam è cælo descendere, & secum deuoluere aliquid substātiæ cæli empyrei, & aliorum cælorum inferiorum: & sic quomodo non exhauritur illa substantia, vel saltem non minuitur, aut vnde resarcitur & reparatur? vel, descendit-ne iterum eadem portio substantiæ, quæ post mortem hominis alicuius ascendit, & datur animarum circulus?

Deinde mens humana vel est multiplex pro multitudine hominum, vel vnica, si sunt multæ ab initio creatæ, hoc iam reiectum est. Et prætereà dicat nobis Flud cur contra voluntatem detrudantur in corpora? & an propter scelera admissa, vt dicebat Origenes,

nes, quem in suam opinionem pertrahit, & ideo eodem anathemate debet feriri, quo ille: si est vnica, & quidem increata & consequenter Deus, vt innuit lib. 3 ca. 8. & 9. dum ait quòd anima intellectualis, quæ quatenus Dei imago est, infinita dici potest, ad hominum informationem sese extendat: & rursus ait mentem hominis quasi diuinam ipsius Dei essentiam increatam, seu veram Dei imaginem apud Deum ipsum semper reseruari pro creaturis, quas ad imaginem suam formare instituit. Si, inquam, mens humana dicitur Deus, hoc iam refutatum est, tum quia quomodo contra suam voluntatem assumit vehicula illa, quibus vecta in corpus descendit: tum quia quomodo Deus vbiq; si descendit, & ascendit siue euolat, vt alibi dicit? Tandem error est mox producendus, quòd mens humana sit vnica pro tota hominum congerie.

Quartus, Mens humana est vnica pro omnibus hominibus.

Auerroës, qui non tam Peripateticus quàm Peripateticæ Philosophiæ deprauator vt ait S. Tho. opusc. 16 c. 2 in fine, cuius rationem videre potes apud Marsilium Ficinum lib. 15. de immort. cap. 1. existimauit dari vnicam animam intellectiuam, siue vnicum intellectum toti orbi humano præsidentem, ita vt nulla alia anima rationalis

detur in homine quolibet præter vim cogitatiuam. Huic errori affine est quod dixerunt Arriani, teste D. Augustino hæresi 49. nempe Verbum carnem assumpsisse absque anima: & quod Apollinaris apud eundem hæresi 55. & apud Vincentium Lirin. in Cómonit c 17 scilicet Verbum suppleuisse absentiam animæ rationalis Geminum item est quod dicunt Libertini, referente Coccio ex Caluino, vnicum tantùm esse spiritum Dei, & animarum nostrarum loco Deum in nobis viuere, omnes vitales actiones efficere. Refer huc quæ dicta sunt de anima mundi in primo ordine, & recordare quòd etiã Manichæi dixerunt vnicam esse animam in omnibus hominibu, animalibus, plantis, vt refert Epiphanius hæresi 66

Flud cùm teneat mentem humanam esse ipsummet Deum, & nullam præter hunc formam agnoscat, debet consequenter dicere esse vnicam; nisi velit diuinitatem in plures particulas dissecare. Hoc erroris portentum in Auerroë debellant citati auctores, & D. Tho. 1. p q. 76 art 2 & hac ratione reiicitur, quia sequeretur quòd omnes homines essent vnus homo formaliter, & in indiuiduo propter vnicam numero animam intellectualem, quæ hominem constituit & distinguit, non ero prolixior, nam iam reiicimus illam impietatem in errore primo, & in ordine primo.

Quintus, Anima non est vera forma corporis.

Quòd anima rationalis etiam vt talis, sit forma corporis, definitum est in Concilio Viennẽsi tempore Clementis V & sub Leone X. in Lateranensi, & in alio Lateranensi sub Innocentio III vbi ratio tangitur, nempe quòd homo sit constitutus ex spiritu & corpore: non alio autem modo constituitur, nisi quia spiritus est forma, & corpus materia; tum quia per animam rationalem vt talem distinguitur homo à bruto essentialiter: non distingueretur autem eo modo, si anima esset tantùm forma extrinseca & assistens: tum quia dependentia, quam habet anima à corpore in suis operationibus, indicat ipsam habere cõmercium cum corpore eo modo, quo forma informans cum materia; & tandem intellectio non esset operatio vitæ, quæ debet esse à principio intrinseco sese mouente, nisi anima esset talis operationis principium intrinsecum informans.

Quòd autem Flud sit in tali errore patet, quia præter Deum omnes alias formas in exilium mittit: Deus autem vt ostẽsum est, non potest fungi officio formæ informantis in proprio genere. Secundò, lib. 4 Macrocosmi cap. 9. recensens proprietates animæ,

quatenus corpus informat ait ex Remigio (nescio vbi) quòd non aliter regit & gubernat corpus, quàm nauta nauim: quis autem dixerit quod nauta sit forma nauis? & ibidem ait, *vel iuxta Chalcidium quemadmodum aranea in telæ suæ centro manens suo motu totam telam mouere percipitur: sic etiam in corde, quod centrum est corporis, ipsa delitescens vniuersam corporis molem mouere solet.* at aranea non est forma telæ; vbi etiam consequẽter tenet Flud, quòd sicut nauta non est simul in tota naui, nec aranea in tota tela, ita anima non est fusa per totum corpus: pro quo nolo iam nouum paragraphum instituere: nam suo more ex eodem ore euomit calidum & frigidum, & vt frequentissimè solet cum auctore lib. de spiritu & anima cap. 18. & cap. 35. iisdem verbis docet, quòd anima est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, nec maior in maioribus, nec minor in minoribus. Tertiò, inclinat in opinionem eorum, qui dicunt animas verti in dæmones, quod errori, quem tractamus, proximum est, vt postea dicam. Quartò, vult animam violenter descendere in corpus: quod non fieret, si esset eius forma connaturalis. non enim vnitur forma substantialis materiæ contra propriam inclinationem, nec fit violentia parti, dum ingreditur compositionem totius, propter quas causas malè audiunt Platonici.

Sextus, Anima est corporea.

Diuus Augustinus lib 10. de Trinit. cap. 7. recensens opiniones de anima, ait aliquos dixisse animam esse temperamentum, quòd archiatro Galeno tribuitur, quia nullã sub-substantiam nisi corpus cogitare poterant: è conuerso alij, quia animam substantiam esse volebant, & nullam substantiam præter corpoream esse putabant, ideo animam esse corpoream dixerunt. Flud pluribus in locis bene sentire videtur quoad hoc punctum: nam lib. 10 Microcosmi cap. 2. ait, *Est ergo anima substantia spiritualis ex luce & spiritu medio conflata, & per consequens simplex & indissolubilis, incorporea, passibilis, & mutabilis respectu abundantiæ spiritus sui, qui passibilis est: at verò quoad formam suam lucidam, permanens fixa at-atque immutabilis*: & iterum (ex cap. 24. lib. de spiritu & anima) *caret etiam anima pondere, figura & colore quatenus inuisibilis, & sensu non capienda.* & lib. 4. Macrocos. cap. 9. dicit quod tertia proprietas animæ est, vt sit purissima, simplicissima, spiritualissima, inuisibilis, incorporea; Deinde si est Deus, quid magis incorporeum?

Attamen ex aliis conuincitur errare: nam primò ad hominem sic argumentor. quod fit ex elementis est corporeum, etiam ipso consentiente, & dicente lib 10. Microcos. c. 2. cum auctore prædicto, quòd si anima ex

elementis fieret, esset corporea at anima iuxta Fludi doctrinam fit ex elementis, igitur secundùm ipsum est corporea: probatur assumptio: quod fit ex traduce & spermate, fit ex elemẽtis at anima secundùm Fludum est ex traduce, vt ante visum est. igitur fit ex elementis. Probatur maior ex ipsomet l.11. cap.3. dicente quòd sperma componitur ex parte magis spirituali omnium elementorũ, & c.5. quod est extractum subtile omnium in genitoris compositione elemẽtorum. Secundò quod est visibile, est quantum & corporeum: sed anima secundùm Fludum est visibilis, igitur corporea: Probatur minor ex lib 13. cap. 1. vbi dicit se in cuiusdam creaturæ anatomia vidisse spiritum virgineum & limpidum radiis animæ adornatum. Tertiò, quod est idem cum spiritu vitali & naturali, est corporeum anima est idem cum huiusmodi spiritu in opinione Fludi Igitur apud Fludum est corporea: minor patet præsertim ex meteorologia lib.4.memb. 2.cap.5. maior etiam constat. quia licet spiritus vitalis, non sit ita crassus, sicut corpora solida, tamen est quid corporeum & quantum, & non est spiritus eo modo, quo sumũt spiritum Theologi, sed eo modo quo Alchimistæ. Quartò, quod constat materia prima eiusdem rationis cum nostrate siue materia sublunarium, est corporeum: anima secundùm Fludum est huiusmodi. est igitur corporea. minor ostenditur. nam lib.3.Micro-

cosmi cap 9. postquam dixit quòd compositionis animæ materia est spiritus forma verò lux, subiungit, *At vero spiritum generalem, atque similiter etiam lucem illam vniuersalem, ex quibus omnis rerum forma & materia deriuatur, in principio tantummodo virtute diuina ex materia non præexistente creata esse testantur scriptura sacra.* Spiritus autem ille vniuersalis nihil est aliud, quàm aquarum massa, si illi credimus sect.2 Microcosf. port.7. cap.2. & cap 3. ait, quòd spiritum mundi vniuersalem Moïses & Petrus aquam nuncupauerunt. & ibidem asserit cælum empyreum conflari ex aliqua portione spiritus illius: inter creaturas autem empyrei simul cum Angelo anima humana numeratur. Igitur eius compositionem ingreditur aliqua portio materiæ eiusdem rationis & speciei cum materia rerum inferiorum, esto, propter maioris lucis consortium sit subtilior. quod non impedit quominus sua quantitate gaudeat Vnde præcluditur effugium aduersarij, qui sicut de Angelo, dicit de anima lib 8 Microcosmi lib.8. cap 3. quod est expers quantitatis post suum auctorem c.18 patet etiam quot contradictionum nodis Flud implicetur.

In profligando isto errore, qui ad animæ mortalitatem tendit, non immoror. quia illius aduersarium pudet, dum parum sui memor, quod decet mendacem, docet alibi esse incorpoream, vt citata initio loca testantur. & ipse viderit quàm bellè ea, quæ ex

ipſo dicta ſunt de materia omnibus communi, conſentiant cum his quæ ex lib. 4 Macroſmi cap 11. ſubiicio: *Animam, inquit, ex materia & forma componi omnes fere teſtantur tam veteres, quàm recentiores Philoſophi* (attende hîc mendacium) *ſed huiuſmodi compoſitio ex materia præiacente non fit, quemadmodum illa generabilium & corruptibilium: ſed ex nihilo, hoc eſt ex materia non præexiſtēte & per creationem producta. ex qua cœlum empyreum, eiuſque creaturæ, inter quas animæ numerantur, deriuantur.* Solùm attexam ineptias Fludi circa animæ cōpoſitionem: illam enim exiſtimat eſſe aggregatum plurium diſtinctorum, qui tamen eam vocat ſimpliciſſimam.

Fludo anima eſt aggregatum ex pluribus. §. 31.

LICET Flud dicat pluries animam eſſe quid ſimplex, & non eſſe in ea diſtinctionem niſi penes diuerſa nomina: ſic enim loquitur in Microcoſ lib.13. cap. 3. *Multa igitur habet anima nomina ſecundùm operis ſui officium. vocatur namque vita dum vegetat, ſpiritus dum contemplatur, ſenſus dum ſentit, animus dum ſapit, mens dum intelligit, ratio dum diſcernit, memoria dum recordatur, voluntas dum vult: & tamen iſta omnia non differūt in ſubſtantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia ſunt vna anima.* Eadem eodem tenore dicit auctor libri de ſpiritu & anima cap. 13. attamen Flud alibi

alibi immutabile, & aliquid quod eſt paſſibile & mutationi obnoxium. Similem animæ compoſitionem ex parte vna paſſibili & alia impaſſibili reprehendit in Platone Seuerus Platonicus apud Euſebium lib.13 præpar.cap.17.rationem poſtea afferam.

Pergo ad alia. Flud exiſtimat animam humanam coagmentari ex ſubſtantiis cælorum, vt patet ex lib.3. Microcoſmi cap.9. propter rationem, quam verbis Macrobij lib.1.in ſomnium Scipionis cap.11. ſubiicio, vbi explicans deſcenſum animæ ſecundùm Platonicos, ait, *Non ſubitò à perfecta incorporalitate luteum corpus induitur, ſed ſenſim per tacita detrimenta, & longiorem ſimplicis & abſolutiſſimæ puritatis receſſum in quædam ſyderei corporis incrementa turgeſcit. in ſingulis enim ſphæris, quæ cælo ſubiecta ſunt, ætherea obuolutione veſtitur, vt per eas gradatim ſocietati huius indumenti teſtei concilietur.* Verùm ſancti Patres nominatim D Hieron.epiſt.61. & Nemeſius lib.de hom. cap.3.in Origene(qui Platonicos eſt ſecutus non tantùm quoad erroris caput, nempe animas eſſe ante corpora in cœlo creatas, ſed etiam quoad acceſſorium, ſcilicet animarum vehicula) reprehendunt huiuſmodi animarum deſcenſus tanquam Chriſtianorum decretis minimè conſentaneos : & cum anima rationalis ſit actus corporis organici, & ſit ſatis proportionata vt corpori diſpoſito vniatur, quid opus eſt vehiculo, ſiue corpore & ſubſtantia intermedia ? Valeant ita-

que huiusmodi vehicula. quoniam cantilenæ sunt: sicut & descensus per signum cancri, & ascensus per signum capricorni, de quo Macrobius supra cap.12. nisi mysticè intelligantur, vt intellexerunt Marsilius Ficinus nobilis Platonicus lib.18. de immort. an. cap.4. & Rhodiginus lib.15. Antiq. lect. cap. 23. nempe quia Luna Cancri domina generationi proxima est: Saturnus verò dominus Capricorni remotissimus, ideo per Cancrum id est Lunarem, vegetalémque instinctum descendere animas dicunt: per Capricornum verò, id est per Saturnum, intellectualémque instinctum ascendere: Saturnum enim prisci mentem vocant, quâ solâ superiora petuntur.

Facessat denique Flud, qui non solùm existimat huiusmodi cælestes substantias ingredi compositionem animæ, sed etiam ipsummet Deum, qui præterea partes illas animæ vult tanquam scopas dissolutas dissociari: nam dicit 8 Microc. 1. quod mens euolat in cælum, & relinquit animam in terra: & alibi, post mortem spiritũ circa cadauer oberrare consentiens næniis eorum qui dicunt corpus concludi in sepulchro, vmbram circa illud volitare, manes detrudi ad inferos, spiritum ad astra euehi, iuxta istos versus relatos à Ioanne Reuchlino lib.2. de verbo mirifico cap.20. commendante numerum quaternarium,

Bis duo sunt homines, manes, caro, spiritus, umbra,
Quatuor ista loca bis duo suscipiun̄t.
Terra tegit carnem, tumulum circũuolat umbra,
Orcus habet manes, spiritus astra petit.

Septimus. Anima non est libera ad bene vel male agendum.

Flud lib. 7. Microcosm. cap. 4. docet quidem quòd mens & ratio hominis non subiiciuntur fato, per quod veteres Philosophi operationem septem planetarum in stellis fixis intellexerunt: at pro solita constantia libertatem videtur euertere: nam tract. 2. Macrocosmi parte 10 lib. 1. cap. 3. audacter pronuntiat in furtis & similibus vitiis astra imponere necessitatem. Hunc tamen rigorem mollit & temperat subiiciendo ex seplasia Hermetica vel Platonica *vbi mẽs diuina vacat*: sed quid est hoc dicere, nisi tunc animam esse liberam, & non necessitari, quando sequitur ductum mentis & rationis: tunc verò necessitari, quando huiusmodi ductum reiicit, & in vitia ruit? quod ex priori loco desumitur: nam postquam dixit tres esse in anima portiones, quarum suprema est à cęlo empyreo, media quæ dat vitam corpori, ab æthereo, infima ex elementorũ subtili conflata quæ est animæ animalis & sensitiuæ dispositio (quasi verò munus sensitiuæ non sit dare vitam, & infima portio distinguatur à sensitiua tanquam dispositio à forma) infert,

Hinc ergo est quòd si media animæ portio inferiori suo membro adhæserit, mens ipsa diuina communicationem cum ea habere recusabit: vnde sequetur vt astrorũ influẽtia & operationes in talem animã, & vniuersum eius corpus prædominiũ plenißimũ sint habitura; siquidẽ animæ istius portio stellarum essentiis superior vacabit, neque anima in eius operationibus adesse inuenietur. Si ita est, dicat nobis Flud an de se media illa portio sit libera, & liberè adhæreat menti, liberéque ab ea recedat? si ei non est liberum adhærere, vel non adhærere menti, vbi igitur animæ libertas? Si verò est liberum, cur dicitur necessitari dum eius ductum derelinquit, ab ea recedit, & vitiis se mancipat?

Sed demus Fludo ipsum bene sentire circa fatum Astrologicum, quomodo se expediet à Stoico? quod ab ipso astrui sic ostendo. Quicunque voluntati humanæ adimit vim actiuam operandi, tollit quoque libertatem: at Flud tollit vim actiuam operandi voluntati, igitur Flud humanæ voluntatis libertatem euertit: maior probatur, quia indifferentia, quæ constituit libertatem, est actiua, secundùm quam aliqua facultas est potens agere vel non agere, positis omnibus ad agẽdum necessariis. nunc ostenditur minor, quia Flud docet in Medicina tract. 1. sect. 1. pag. 3. lib. 1. cap. 1. creaturam nihil omnino agere, sed solùm Deum Secundò, quia docet Deum inducere & impellere ad peccata, ibid. cap. 6. & 7. voluntati autem Dei

antecedenti efficaci, & impulſui quis poteſt reſiſtere? ſi non poteſt reſiſtere fortiter impellenti, vbi eſt peccandi vel non peccandi libertas? Vnde vides cur illud fatum vocauerim Stoicum & Caluinianum, quod ortum habet à decreto Dei: immo debet vocari Caïnanum. Nonne ſi quis ſibi in animum inducat Deum eſſe auctorem ſcelerũ, & operari tam bona quàm mala de genere morum, ſumet anſam excuſandi excuſationes in peccatis, & dicendi dum aggreditur nefariam actionem? *Vtor tuo opere, ô Deus, perficio tuam operationem, ô ſumma poteſtas.* Sic, teſte Diuo Irenæo libro primo cap. 29. & Epiphanio hæreſi 38. Caïnani, qui prauas actiones Angelis attribuebant, in procinctu operis dicebant, *O tu Angele, vtor tuo opere, ô tu poteſtas, ago tuam actionem.* Iniurius itaque eſt Flud & in Deum, & in humanam libertatem, quapropter Patres Concilij Tridentini ſeſſ. 6. can. 4. anathema dicunt ei, qui dixerit liberum hominis arbitrium veluti inanime quoddã nihil omnino agere. Superuacaneum autem duco recoctam cramben apponere, & hominis libertatem propugnare, quam non audet palam oppugnare, quam pro viribus occultè ſubuertit.

Octauus. Animæ è corpore exitus, & ad idem reditus reiteratus, est voluntarius & naturalis.

Agens de Fludi mateologia tetigi animarum huiusmodi diuagationem: & quidem si anima pro nutu & arbitrio posset se vnire, quod tamen falsum est, cùm sit officium generantis, posset quoque se ad libitum separare, & iterum se vnire, vt dicitur de Hermotini anima egrediente, & regrediente: rem narrat Tertullianus lib. de anima §.26. *de Hermontini anima*, & reprobat dicens, quòd illa animæ secessio, *genus erat grauioris aliquanto soporis, vt de Incubone præsumptio est, vel de ea valetudinis labe, quam Soranus opponit excludens Incubonem, aut tale quid vitij, quod etiam Epimenidem in fabulam impegit quinquaginta penè annis somniculosum*: & addit omnia magis esse coniectanda, quam istam licentiam animæ siue morte fugitiuæ: quasi verò animæ corpus sit vt vagina: & ratio est, quia tandiu manet anima vnita, quandiu manent legitimæ dispositiones, quæ si dissoluantur, non possunt naturaliter reduci. Itaque tam arcta est inter animam & corpus vnio, vt hanc sola mors dirimat: *Ipsa illa ratio operatrix mortis simplex licet*, inquit Tertullianus supra §.29. *Vis est, quid enim quæ tantam animæ & carnis societatem, tantam à conceptu concretio-*

nem sororum substantiarum diuellit ac dirimit. Accedat auctoritas Cassiodori lib. de anima cap. 6. *Mirum propterea videtur rem incorpoream membris solidissimis colligatam, & sic distantes naturas in vnam conuenientiam fuisse perductas, vt nec anima se possit segregare, cùm velit, nec retinere cùm iussionem Creatoris agnouerit.* Eadem ferè habet auctor lib. de spiritu & anima cap 18. quem libenter cito, quia est notissimus Flu- do de eo, quod Flud dicit naturalem esse resurrectionem, & animæ reunionem cum corpore, iudicium protuli dum de eius Alchimia.

Nonus. Animæ præest triplex Angelus custos.

Flud pro triplici substantia cælesti, ex qua dicit constare animam, triplicem quoque Angelum ait esse in ea, nempe duos bonos, & vnum malum: ex bonis vnum dici empyreum, qui dicitur bonus genius Archangelus, & præest menti, alium Olympicum siue æthereum, qui præest animæ siue spiritui vitali, & est fatalium executor, malus autem genius est elementaris: non magis autem sibi constat in hoc negotio, quàm in aliis: nam in meteorologia lib 4. de causa efficiente memb. 2. cap 5. ait quòd Angelus malus præest spiritui naturali: & in Genethlialogia lib 3. p. 3 c. 7 ait quòd Angelus elementaris præest animæ animali, siue sensiti-

uæ ex formaliori elementorum parte constitutæ: quod non poteſt conſtare, niſi contra omnes Medicos confundat ſpiritum naturalem cum ſpiritu animali proprio animæ ſenſitiuæ vt ſic. Secundò, cap. 5, eiuſdem partis ait quod aliquis ex elementaribus præeſt corpori, *Immo* inquit, *credendum eſt potius quod particularis ſpiritus cuiuſlibet elementi dominium habeat in ſua corporis portione.* Agnoſcit itaque plures Angelos dominantes corpori: & tamen paulopòſt ait ſufficere vnicum, dum reſpondens Porphyrio aſſerenti tot eſſe dęmones, quot ſunt partes corporis, dicit fruſtra fieri per plura, quod fieri poteſt per pauciora: *Vnde,* inquit, *ſi corporis præfectus omnes corporis partes reſpicere & tueri poteſt, fruſtra requiruntur dæmones plures.* Tertiò, pergit dicens, *Cùm itaque animæ vitalis præſes Olympicus pulchritudinem & ſanitatem corporis in quantum ſufficit, reſpicere ac tueri poßit, cur plures dæmones ad tale opus requirentur?* & tamen corporis curam demandat dæmoni elementari, qui corpus, corporiſque officia & appetitus reſpicit. Et ante dixerat dæmonem Olympicum pertinere ad hominem internum, & non externum, nempe corpus cui præfecerat quadruplicem pro quaternario elementorum; tum quia pulchritudo & ſanitas pertinent æquè ad animam ſenſitiuam ac vitalem, & potius ad corpus quàm hominem internum, cui præſidere ex parte dicitur dæmon Olympicus: nunc ad rem.

Hic

Hîc mihi præludendum eſt cum D. Auguſtino 3. contra Iulianum Capuenſem cap 3. mira ſunt quæ dicitis, noua ſunt quæ dicitis, falſa ſunt quæ dicitis: mira ſtupemus, noua cauemus, falſa conuincimus: mira, inquam, noua & falſa ſunt quæ dicit Flud de triplici genio. Vera quidem & Catholica ſententia eſt cuilibet homini à natiuitate dari Angelum bonum cuſtodem, qui clientis ita curam ſuſcipiat, vt quantum in ſe eſt, bonum & ſalutem illius procuret, & indirectè bona corporis in quantum conducunt ad ſalutem æternam. Communior etiam opinio eſt Theologorum quemlibet hominem habere dæmonem aduerſarium & impugnatorem, non à Deo, ſed à Dæmonarcha deſtinatum, quod teſtimonio plurium Sanctorum poſſemus confirmare, & habet fundamentum in ſacris paginis nempe 2. Corinth. 12. v.7. & ad Epheſ 6. v.12 & quibuſdam aliis locis magis facientibus ad rem quàm ille quem affert Flud ex epiſt. ad Ro. cap.7. v. 23. vbi non agitur de Dæmone, ſed rebellione appetitus, ſiue partis inferioris, quæ aliunde prouenire quàm à Dæmone; ex qua inductus eſt Flud ad ponendum prauum Dæmonem cuſtodem, ſicut & induci potuerunt Manichæi, vt dicerent malam animam eſſe carnis concupiſcentiã, & animam bonam & malam tunc pugnare, quando caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, vel è contra. Eſto igitur adhæreat cuilibet homini ſpiritus ne-

quam ab ipsa etiam ianua natiuitatis animas aucupabundus, vt verbis Tertulliani vtar lib de anima cap.3. Attamen errat Flud primò in eo quòd illum recẽset inter custodes: sic in Genethlialogia supra cap.5. vbi etiam ait curare corporis constitutionem, & appetitum. At quomodo custos, si malus? an lupus custos ouium? quod etiam agnouit homo ethnicus Plutarchus libro de Oraculorum defectu, *Homines*, inquit, *sunt Dæmonibus diuiniores, qui affectus mortales sopiuerunt: non igitur Dæmones custodes, qui prauis affectibus obnoxij sunt.* Deinde quid opus Dæmone ad promouẽdas appetitus inclinationes? nonne caro satis propensa est ad quærenda quæ sunt sibi commoda & opportuna? Sed fortè datur ad prædictas inclinationes moderandas ne exorbitent. At hoc non vult Flud: nam de eius mente est proprium officium supremi refrænare Dæmonem elementarem, vt patet ex loco allegato ex meteorologia, vbi ait quòd spiritui naturali præest vnus Angelus, qui nisi à supremo refrænetur, malus genius vocatur: ex quo vlteriùs infero in sententia Fludi non vocari malum si refrænetur, & consequenter dari Dæmonem qui modò sit malus, modò bonus, quod reieci in secundum ordinem.

Sed ad præcipuum caput difficultatis veniamus: & missis iis quæ Mersennus obiicit, obseruat, ad 28. problema Veneti contra istam prætensam custodiam, ad quæ non

aliter respondet Flud, quàm recurrendo ad illud figmentum de compositione animæ ex triplici substantia cælesti. Videamus quæ sit necessitas huius triplicis Angeli, & qua au-ctoritate vel vrgente ratione fultus audeat Flud inauditum illud dogma propalare: & quia, vt ait Claudianus Mamertus lib.2. de anima cap.10. gloriosum victoriæ genus est ab eo, cum quo decertes, arma capere, argumentũ, quod facit aduersus Porphyrium, contra illum retorqueamus. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, at vnicus Angelus est tantarũ virium, vt possit totius hominis œconomiam administrare, & habere curam vnius animæ, etiamsi fingatur esse composita ex triplici substantia: quod tamen non concedimus, cùm illa substantia triplex, nil aliud sit quàm triplex spiritus, scilicet naturalis, vitalis, & animalis ex parte corporis requisitus, vt eo tanquam instrumẽto vtatur anima ad suas functiones exercendas; & per quandam analogiam respondens cælo empyreo, æthereo, & elementari, vt fusiùs persequuntur Medici, & auctor lib. de spiritu & anima. Itaque inconcussum manet argumentum Iamblyci, quo ex eo quòd homo sit vnicum animal, infert ei sufficere vnum præfectum. Friuolum enim est quod respondet Flud absurdius esse credere vnicum animal habere tantùm vnum dæmonem, quàm si quis diceret mundum, qui vnicus est, non habere

nisi vnum dæmonem. Ita-ne Flude? debuit tibi in mentem venire tanta mundi moles ad quam ferendam impar est vnicus Angelus. tum quia mundus non est vnum per se, sed congeries etiam genere distinctorum: perinde argumentaris, ac si diceres absurdius est credere vnam nauiculam regi ab vno tantùm nauta, quàm omnes naues in toto Oceano fluctuantes regi ab vno: vel pluribus nauarchis egent plures naues, igitur & vna eget pluribus. Futile item est quod dicit Macrocosmus regitur à pluribus Angelis, igitur & Microcosmus, qui de qualibet regione Macrocosmi participat, ac si participaret in eadem quantitate, proportione, varietate: ac si non essent aliæ analogiæ inter hominem & mundum, propter quas ille dicitur Microcosmus.

Hebes Fludi ratiocinium & minutiloquium. §. 32.

NE indicta causa damnetur Flud, audiantur eius rationes, quas breuitati studens perstringo. Argumentatur primò ab auctoritate Scripturæ, in qua profundenda non est parcus, & quam ad sua sensa, vel potius somnia solet detorquere. Psalmo 91. dicitur *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Et Zachariæ 2. *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum, Curre, loquere ad puerum*

istum. Ad primum locum dicitur quòd siue intelligatur de Christo, siue de quolibet alio homine, nihil promouet aduersarij causam: nam in primis Christus, qui erat incapax peccati, non egebat ductu & regimine Angeli: ministerio tamen plurium poterat vti, & ad eius obsequium erant parati: ex quo obiter moneo Fludum perperam menti humanæ assignasse Angelum custodem, si vt docet, mens non potest errare, & est ipsemet Deus, quis enim Deo pædagogum præficiat? Si verò de quolibet homine intelligatur, non est consequens, quòd plures cuilibet priuatæ personæ præficiantur. Sic si dominus præcipiat seruis, vt alicuius ægroti curam habeant, non est consequens, quòd plures ei ministrent, si sufficit vnus. Denique Deus in persona vnius alloquitur genus humanum, ad quod custodiendum plures destinauit, ita tamen quod singulis hominibus singuli sunt distributi Angeli. Secundus locus ineptè allegatur, nam non negamus, quin aliqui Angeli imperent aliis, & aliqui alios de agendis instruant. Sed vnde habet Fludus, quòd illi duo Angeli erant custodes Zachariæ: quasi verò ille qui imperauit, propterea fuerit ordinarius custos Zachariæ. Debuit attendere Flud, quod fiebat extraordinaria legatio, & mittebatur vnus Angelus ad reuelandum alteri (qui postea suggereret Zachariæ) aliquid pertinẽs ad Synagogam vel Ecclesiam. Ineptè igitur Flud

ex illo facto singulari colligit cuilibet homini etiam dono prophetiæ destituto esse præfectos plures Angelos.

Venio ad rationes Fludi dignas armigero imbelli, quas breuiter rescissa battologia propono. Prima, si homo habeat tantùm vnum Angelum custodem, non subiacebit vi & influxui astrorum: nam à suo pupillo ille vnicus tutor illam vim auertet. Secunda, tanta est discrepantia inter animam & corpus, vt ad vtrumque regendum impar sit. Tertia Archangelus custos mentis auersatur corpus, quod est mentis diuinæ carcer tenebrosus, è quo illam eripere nititur. Quarta, si Archangelus præesset corpori, æquè ac menti, corpus non esset tam pronum ad vitia. Quinta, nisi admitteretur dæmon Olympicus, anima vitalis non esset tam inconstans & mutabilis, vt modò menti adhæreat, modo animæ animali. Sexta, si vnicus tantùm dæmon integram massam tam internam quàm externam regeret, mirum foret vt mens animæ ac corpori, & corpus itidem animæ, atque tam mens quàm anima corpori essent tam aliena. Hæc est summa rationū: si tamen sunt plures, & non potius vna, & quidem tam infirma, vt vniuersa Fludi medicina non possit ei vires restituere, vt proinde pigeat me ad illam respōdere. Aduocetur itaque muliercula, vel quilibet è plebe qui Fludum instruat, & eius admirationem quæ ex ignorantia procedit,

tollat: non quidem ex assertione plurium Dæmonum, qui si essent custodes, non essent causa dissidij, sed pacis: sed ex eo quòd limus cælo, & caro spiritui conserta sunt. Denique quia

---- substantia duplex
Iungitur, inque vnam coeunt contraria vitam.

Ita Prosper carmine de prouidentia, ex communis omnium sensus promptuario: & si homo in puris naturalibus esset conditus, si nullus esset Angelus custos, si cessaret impugnatio Dæmonum, nihilominus vigeret illud dissidium: nam appetitus superior ductu rationis ferretur in bonum honestum sæpe oppositum bono iucundo, erga quod afficitur appetitus inferior.

Sed percurramus reliqua eo ordine quo proponit Flud. Primò, vnde trahit istam sequelam, scilicet non fore hominem subiectum influentiæ astrorum, si ei adsit vnus tantùm Angelus: est-ne necesse vt semper vim astrorum auertat? cùm sæpe cedat directè in bonum corporis, & indirectè in bonum animæ: aut si per vim astrorum intelligit aliquid fatale, quod hominem inclinet ad malum, cur illud detorquet semper Angelus, cùm vt plurimùm humanæ passiones sint materia & seges virtutis? sufficienter Angelus munus tutelæ obit, si in quantum conducit saluti illius, cuius curam habet, impediat ne illi fiant tenebræ ignorantiæ, lubricum occasionum, & Angelus aduersa-

rius nimis persequens; id est, si quantum in se est, coërceat Dæmonis aduersarij vires, ne tam grauiter tentet, & peccandi occasiones offerat. Si animam excitet & moueat ad bonum, & retrahat à malo, si exteriora pericula tam corporis quàm animæ propulset, quod facit vt plurimùm remouendo obiecta malorum incentiua, & lapides scandali. Deinde in opinione Fludi aduocatur Dæmon Olympicus, qui fortior Empyreo retundat eius vires, ne impediat influxum astrorum, quod vt dixi, non intendit Angelus custos. Sed quid necesse est Dæmone fatalium executore? an vt applicet influxum astrorum, quæ satis per se eiaculantur suas influentias? Præterea cùm directè influxus in corpus incidant, nonne potius pertinent ad illum qui curat corpus? Et si sunt malignæ influentiæ, & illas applicet Olympicus, iam non erit bonus, sed malus. Meliùs ipsemet Flud sect. 1. Microcosmi port. 4. lib 3. p. 1. capite quinto reticens de tertio genio mentionem facit duplicis, boni & mali, inter quos est homo medius, quem vterque ad se trahere conatur, & illi est liberum vni vel alteri manum dare, & consequenter non est opus tertio Dæmone, qui modò conuertat hominem ad supremum, modò ad infimum.

Secundò, abiectiùs sentit Flud de Angelo, quàm par sit, qui ait illum non sufficere ad lites animæ & corporis componendas, & ad vtrumque in officio continendum: ad quod tamen

tamen non obligatur, nisi in quantum videt hoc congruere diuino placito. Vnus homuncio sufficiet ad mille nutus excitandos in neuropasto, & vnus Angelus non erit sufficiens vt vnum hominem regat, quantumuis ex diuersis partibus compositum, quæ tamen diuino vinculo colligantur, vt docet Isidorus Pelusiota l.4.ep.125. sed quàm consequenter loquitur Flud, an corpori datur malus genius seditionis auctor, vt ex sua parte discrepantiam tollat, vel vt foueat? an vt regat, vel potius à recta via auertat?

Tertiò, vt nihil dicam de eo quòd menti assignat custodem Archangelum, cùm tamen opinio communis Theologorum sit ad custodiam hominum saltem priuatorum destinari solos Angelos ordinis infimi infimæ hierarchiæ, cur Archangelus, etiamsi auersetur tenebras, negligat curam habere corporis, & ita moderari illud, vt non sit oneri animæ, & ei quantum fieri potest subdatur? Ægroti enim Medicus curam non abiicit, nisi sit desperata salus: cur non ita corpus adaptat, & eius tenebricosam ferruginem abstergit, vt sit conueniens animæ instrumentum, & non demergat ipsam in profundum? & si auersatur, & non vult habere curam illius (quod non est in eius arbitrio, sed Dei mittentis) est-ne cõsequens vt incidat in manus praui Dæmonis corpus, in quo, vt ait Cassiodorus lib. de anima, omnia sunt præconialia, quicquid reclament Ma-

nichæi, qui dixerant non esse facturam Dei, sed Diaboli.

Quartò, perperam ex eo quòd idem Angelus præsit menti & corpori, infert Flud fore vt corpus non sit tam pronum ad vitia: nam pronitatem ad vitia non tollit tutela Angeli: & è cōuerso hæc pronitas non prouenit à solo prauo Dæmone: alioqui nulla haberetur ratio tẽperiei, nihil relinqueretur libero arbitrio, nihil consuetudini, nihil educationi, nihil victui, nullo loco poneretur prauorum consortium, nullo exemplum.

Quintò, animæ inconstantiam refundit in Dæmonem parum gnarus naturæ humanæ voluntatis, quæ tædio afficitur ex eodem vitæ tenore: & fluxus & refluxus tot affectuum diuersorum, qui vigent in voluntate, partim ex cogitationum æstu proueniunt, quæ occursu obiectorum, vel de nouo oblatorum, vel in memoria hærentium excitantur. Præterea quid distinguit Flud hac in parte inter animam vitalem & animam sensitiuam, ac si affectus quibus adhæret anima vel menti, vel corpori, non pertineant ad animam sensitiuam.

Decimus. Anima separata à corpore errat circa corpus.

Commentum poëticum est errare, & non admitti ad inferos animas insepultorum,

ahororum, & biothanatorum, quod explodit Tertullianus lib. de anima; retuli etiam ſupra eos, qui dicunt animas volitare circa ſepullchra. Ratum tamen eſt apud Theologos animas pro diuerſitate ſtatus, in quo excedunt à corpore, ſe recipere vel in locum expiatorium, vel in locum præmij, vel ſupplicij. Non recordor quòd Flud horum faciat mentionem: memini tamen ipſum docere mentem humanam ſurſum euolare poſt mortem, & animam relinqui in Hylæ voragine. Simile quid fabulatores referunt de Hercule, cuius vnam partem dicunt degere apud ſuperos, aliã apud inferos Idem Flud, ſi modò ritè memor, in homine diſtinguit triplicem animam, ita vt ſuprema nunquam damnetur: quod ſi ita eſt, ſequitur nullam animam damnari: nam, vt oſtendi pluries, etiam in opinione Fludi, mens humana non eſt diſtincta ab anima humana: quare facilè contemnet Flud illa diuerſarum animarum receptacula, quæ aſſignãt Theologi: nec mirum eſt ſi contra omnem rationem & auctoritatem etiam ſacrã dicat animam ſeparatam, & ſpiritum errare circa corpus, quod confirmat ex iis quæ ſequuntur.

In Anatomia myſtica lib. 2. cap. 5. cauſam cur præſente reo cadauer hominis interfecti ſanguinem emittat, refert in præſentiam animæ illius qui interfectus eſt: ad quod verificandum præmittit tanquam euidens

quòd anima ſine ſpiritu ſuo æthereo (qui eſt quaſi vitæ humidum radicale) nec ille niſi in ſuo curriculo, qui eſt aër mundanus, neque ille ſine ſuo vehiculo, quod eſt humanus viſibiliter condenſatus, qui eſt ſanguis, neque corpus ingredi, nec in ipſo manere, nec tandem ab eo mortis violentiâ diſcedere poſſit: & ait quod illud Iobi 24.12. *Anima vulneratorum clamauit, & Deus multum abire non patitur*: intelligitur de anima cum ſuis vehiculis vſque ad vltimum, quod eſt ſanguis, cui cætera mirabili vinculo alligantur: atque hinc prouenit, quod ſi quis tranſeat per locum, in quo homo eſt infectus, aut vbi cadauer nouiter occultatur, timore afficiatur, quoniam aër, qui eſt vltimũ vehiculum, in quo anima interfecti vehitur, huiuſmodi cæde perturbatur, & ſpectris vndique circundatur: & ſic cum ſpiritu interno hominis tranſeuntis ſe iungens ipſum etiam ſimilibus figuris inuiſibilibus afficit. Pergit Flud, ex quibus euidenter liquet quod aër, qui eſt animã interfecti ſedes & currus nexu inſeparabili relationem habeat ad ſanguinem adhuc in corpore defuncti remanentem: & confirmat ex eo quòd præſente reo cadauer emittat ſanguinem, quia ſpiritus, qui eſt animæ receptaculum, & habet ad huiuſmodi cadauer relationem, à cadaueris ſanguine minimè adhuc ſeparatus totaliter, metu perculſus in corpore mouetur, & motu huiuſmodi ſubitaneo ſan-

guinem congelatum liquefacit calore sui motus. Porrò etiam est luctatio quasi atque contentio inter spiritus interfecti & interficientis, qualis erat inter spiritus Eteoclis & Polynicis, qui ignis flamma permixti flammam, à flamma distinguere videbātur. Nam ipsa anima defũctorum in aëreo spiritu tanquam suo vehiculo, etiam à suo cadauere separato inhabitare solet. Addit quòd spiritus mortuo homine se potest condensare & apparere viuentibus in eadem forma, qua corpus erat: & dicit apparuisse spiritum Samuëlis. Addit præterea eodem modo Eliam apparuisse cum Moïse in monte Thabor, & Christum post resurrectionem: & affert varia experimenta & historias, quarum fides sit penes auctorem.

In discursu Fludi multæ sunt falsitates, fabula, & impietas quoad sanguinis emissionem à cadauere occisi videatur Mersennus cap.4. Genes v.10.q.53. & ex Iurisconsultis Gregorius Tholozanus in Syntagm. iuris libro 36 cap. 20. Farinatius in Practica criminali q. 52. qui huius euentus varias reddunt rationes, qui tamen non semper euenit. Verior autem est quòd non datur illa causa naturalis, sed ad Deum recurrendum est qui humani sanguinis vindictam exposcentis obiectiuè, quatenus prouocat, vindex vult occultum homicidum detegere. Quare falsum est hoc accidere propter præsentiam animæ occisi quicquid reclamet cum Ægy-

ptio Porphyrius 2. de abstin. Falsum est quod omnis transiens per locum, vbi cadauer est occultũ, timore percellatur, si inscius sit adesse cadauer: nam si oculis occurrat vel aliunde sciat, potest alia ex causa timere quàm ex prætenso animæ vehiculo, quod à vento perflante facilè potest dissolui, & alio & aliò propulsari, ne misceatur cum spiritu transeuntis: & vnde accipit flatus siue spiritus vitalis vt se in figuram conformet, & in spiritu alterius spectra efformet? Falsum est animam non posse dissociari à sanguine, vel spiritu aëreo. Falsum item est posse spiritũ, qui est euanidæ & inseparabilis substãtiæ & naturæ, diu subsistere circa cadauer, quod post multos dies à cæde emittit sanguinem. Falsum quod spiritus timore percellatur à corpore separatus, loquor de spiritu chimico de quo Flud. Falsum quod habeat vim liquefaciendi sanguinem concretum. Falsum quod aduentante homicida excitetur spiritus defuncti, vt subeat cadauer & sanguinem commoueat quasi bellaturus cum spiritu interfectoris. Cùm illæ inimicitiæ superstites reliquiæ sint fabulosæ: & illud quod dicitur de spiritibus duorum fratrum est figmentum poëticum, ad odium ante implacabile significandum: quòd si non alia causa sanguinis emissionis esset, quàm dissidium spiritus vtriusque, dicendum quoque esset hoc contingere, quando homicidium est manifestum.

Quod autem Flud dicit de ſpiritu chimicè ſumpto, quòd ſe poſſit condenſare, & in figuram humanam ſe conformare eſt ridiculum cùm iam euanuerit. Cæterùm ſpiritus Theologicè ſumptus pro perſona, vel ſemiperſona incorporeà eſt incapax condenſationis; & ideo nouum corpus ſibi compoſuit anima Moïſis, vel ab Angelo eſt ei coaptatum. Idem dicitur de Samuële, vel eius loco apparuit Dæmon, vt dicunt aliqui. Elias verò cùm, vt loquitur Tertullianus, ſit æternitatis candidatus, & adhuc viuat in corpore, potuit cum eo adeſſe. Tandem impium eſt & hæreticum dicere quòd Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem apparuerit eo modo, quo dicit Flud, quaſi verò non habuerit corpus ſolidum & palpabile, & proprium oculis Apoſtolorum obiiciendum, temperando nimi amlucem. Immò ad hoc apparebat, vt probaret verum corpus reſurrexiſſe.

Vndecimus. Anima vertitur in Dæmonem.

Hic error ortum habet ex alio, nempe animas non differre naturâ à Dæmonibus, neque eſſe formas informantes, & tribuitur Platonicis, & quibuſdam hæreticis, vt Catharis apud Exbertum ſer.13. aduerſus eos, Eberhardus lib. contra Valdenſes cap. 26.

notat præterea Tertullianitas eo quòd dixerint animas peccatorum mutari in Dæmones. Notatur etiam Origenes apud Viuem ad 9 de ciuit.cap.11. vbi hunc transitum expresse tradit Apuleïus. Asserit etiam Maximus Tyrius dissert. 27. & longè ante Hesiodus in poëmate, quod inscribitur *Opera & dies*: nam postquam descripsit aureum genus hominum, addit huiusmodi homines fieri Dæmones post mortem, & custodes viuentium, versus Hesiodi paulò aliter referuntur à Theodoreto serm. 8. contra Græcos post medium, & sic Latinè exprimuntur,

At postquam genus hoc terrâ mors obruit alta,
Dæmones hi sancti terrestres ritè vocantur,
Custodes hominũ, nostra hæc quibus omnia curæ.

Huius etiam meminit Plutarchus lib. de Socratis Dæmonio. Longè aliter hãc transmutationem intellexit Diuus Chrysostomus, scilicet moraliter, & non tantùm post mortem, sed etiam in hac vita: nam hom. 2. de Lazaro ex Lucæ 16. capite, carpens prædictam Gentilium opinionem, ait, *Sunt enim plerique simplices, qui putant animas violenta morte descendentium fieri Dæmones. Hoc autem non fit, non fit, inquam, istud: non animæ violenta morte decedentium fiunt dæmones: sed animæ potius in peccatis viuentium: non quòd mutetur illorum substantia, sed quòd voluntas Dæmonum prauitatem imitetur.*

Flud sect. 2. Microcosmi port. 4. lib. 3. p. 1. cap 5. faciens mẽtionem duplicis genij boni

& mali, ait quod homo inter hos duos concertantes medius est, & loco liberi arbitrij sibi est, ita vt victoriam vtri vult præstare soleat: & præterea quòd quilibet genius conatur hominem transformare in seipsum, puta per conformitatem morum: & bene hactenus Flud, si sistat in sola mutatione morali: nam omnis alia physica metamorphosis debet excludi, vt bene docet Philastrius hæresi 73. sed cùm de hac morali transformatione non sit vlla dubitatio, cur iterum Flud hanc quæstionem retractat, & iterum vt dissoluendam proponit, nisi intelligat de alio genere transformationis? quæ non potest esse alia, quàm physica, vel non potest aliter intelligi, quàm dicendo animam, antequam ingrediatur corpus, non esse alterius naturæ quàm Angelicæ, & post mortem si bene egerit in numerum bonorum Angelorum cooptari, si malè ad consortium Dæmonum transire, & vti illos esse perniciosam, vt dicit Apuleius lib. de Deo Socratis post medium. Proposita autem quæstione Flud inclinat in partem affirmantem (quod est conforme eius principiis) quæ est animam esse creaturam empyrei sicut est Angelus, & violenter in corpus descendere: & trahit ad hoc propositum post Agrippam libro tertio Philos. cap. 28. illud Ioannis 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est?* Verùm, vt bene interpretatur S. Epiphanius hæresi 38. Iudas erat Diabolus

mente(id est affectu) non naturâ: de auctoritate Trismegisti, cuius ea quæ citat Flud, habentur cap.10. Pimandri, non sum sollicitus: nam ipsum purgare ab errore esset non tantùm Ægyptium, sed etiam Æthiopem lauare.

Duodecimus. Anima humana est corruptibilis & physice mortalis.

Addidi physicè, quia non est dubium quin eo modo sit mortalis, quo alicubi dicit Flud, & pluries auctor libri de spiritu & anima, nempe vitam gratiæ diuinæ amittendo, & se vitiis mancipando: sed ad rem, error propositus, qui totius Religionis euertit fundamentum, non eget refutatione: satis mihi erit illum ex doctrina Fludi eruere: verùm quòd in pluribus locis dicit esse immortalem: & præsertim lib 4. Macrocosmi cap. 11 hæc sunt verba concepta, quibus rationem incorruptibilitatis animæ reddit à priori, *Concludimus igitur præter rationes prædictas*(quæ sunt à posteriori)*animam propter suæ compositionis rationem incorruptibilem esse, quia nulla contraria ad compositionem eius concurrunt, cùm spiritus, qui est quasi anima materia, aereus sit, mens verò ignea, quæ est forma compositi: est enim de spirituali lucis substantia: tùm verò aer & ignis amicißimi existant, & vnum sit quasi pabulum alterius, alterum verò tanquam vita & anima suo nutrimento matrimonio naturali, quasi*

vinculis perpetuis simul copulantur. An non timet Fludus ne ignis ille aliquando pabulum suum absumat? vel aliquando lucerna languescat? vel si homo in aqua moriatur, ab aqua ignis extinguatur, quod timebant Stoici, quorum mentem exprimit Poëta quidam dicens,

Nec timeo lethum, genus est miserabile lethi,
Tollite naufragium, mors mihi munus erit.

quod etiam timebant illi, cum quibus nauigabat Synesius, vt narrat in epistola quarta, qui orta tempestate gladios strinxerunt, vt se interficerent antequam anima vndis obrueretur.

Sed seriò vide quàm rectè consentiant quæ dixit priùs cum illis quæ dicit lib. 8 Microcosmi cap. 1. nempe animam, quæ mentem neglexerit, facta talis animæ & corporis dissolutione, relinqui in terra, mentem verò sursum ferri. Igitur separantur mens & anima, & ea quæ ingrediuntur compositionem dissoluuntur, ex quo sequitur interitus: qua ratiocinatione vtitur Seuerus Platonicus disputatione de anima apud Eusebium 13. de prepar. cap. 17. vt probet, quòd anima non sit ex duabus partibus conflata, quarum altera patiendi necessitate libera, patibilis altera sit. quod itidem existimat Flud, *Iam verò,* inquit Seuerus, *de animo illo, quem à Deo nobis duplici ex parte, alterâ patiendi necessitatem excludente, altera subeunte passionem conflatum quasi medium quendam ex albo, nigró-*

quæ colorem obtrudit Plato, hæc in præsentia quæ dicamus occurrunt, partium illarum progressu temporis illabente dißidio interire animum oportebit: quemadmodum illam coloris medij temperationem, cùm illi, ex quibus ante coaluit, suapte naturâ paulatim in suum quisque genus, propriumque solvuntur, perire necesse est: idquod si semel probabitur, morti certè obnoxium, non immortalem animum ponemus.

Secundò, quod constat ex elementis est corruptibile: anima secũdùm Fludum constat ex elementis, igitur anima in doctrina Fludi est obnoxia corruptioni: maior apud omnes in confesso est: probatur minor ex iis, quibus ostendimus sequi ex principiis Fludi animam esse corporeã, quia fit ex elementis: & confirmatur, quia, vt habetur in Genethlialogia lib. 3 p. 5. cap. 7. anima animalis siue sensitiua ex formaliori elementorum parte constituitur, & ideo ei præest Dæmon elementaris: at de mente Fludi anima rationalis non est alia à sensitiua, igitur si hæc componitur ex elementis, & est corruptibilis, etiam illa. Subsumptio habetur sectione prima Microcosmi lib. 13. cap. 1. *Anima*, inquit, *humana, quæ in corpore habet esse, & extra corpus, pariter animæ & spiritus vocari potest: non tamen duæ animæ sensualis scilicet & rationalis, altera nempe qua viuit homo, & altera, quâ, vt quidam putant, sapit. Sed vna eademque anima in semetipsa viuit per mentem ac intellectum, & corpori vitam præbet per sensum, &c.*

quæ omnia transſumpta ſunt ex auctore de ſpiritu & anima cap. 9.

Tertiò, fatentur omnes ſpiritum naturalem & vitalem eſſe euanidæ & diſſipabilis naturæ: at animam confundit Flud cum vtroque: igitur in doctrina eius anima facilè diſſipari poteſt & deſtrui: minor eſt euidens ex dictis, & meteorologia ipſius lib. 4. de cauſa efficiente meteororum membro 2. cap. 5.

Ex hac contracta Effigie, quam abſque fuco depinxi, iudicet æquus Lector in quantam molem excreſceret, ſi iuxta totam magnitudinem pingeretur: ex vngue leo, vt fertur, *Siquidem*, inquit Lucianus lib. de ſectis, *aiunt quendam ex ſtatuariis, opinor autem fuiſſe Phidiam, tantùm ab vngue leonis conſpecto iudicaſſe in quantam magnitudinem totus leo exurgeret, ſi iuxta vnguis rationem fuiſſet ſculptus.*

Epilogus ad Robertum Flud.

Hæc pauca ex propemodum innumeris, ô Roberte, quibus tuas apologias, & quæcùnque hactenus exſcripſiſti, volens nolens infeciſti, quibus etiam alia ſubiunget Appendix, quæ ſi deinceps emendaueris, & te receperis ad bonam frugem, materiã nobis ſuggeres gaudij ſingularis, & erit vnde Deo Opt Max. ſummas agamus gratias, ſi te præſertim è Caluiniſtico grege ad orthodoxum ouile reduxerit.

FINIS.

APPENDIX
AD EFFIGIEM ET NÆVOS:

Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam. Pſal. 49. §. 1.



Ost depictam effigiem incidi circa Quadrageſimam anni 1634. in librum Fludi, cui eſt Epigraphe, *Clauis Philoſophiæ & Alchimiæ Fludanæ*, qua videtur ſenſum ſuũ aperire in iis, quæ ipſi à Merſenno, Lanouio, & Gaſſendo obiecta fuerant. Sed potiùs omnia obſerat, & velat nube allegoriæ. quod familiare Ethnicis, dum eis ſuorum Deorum probra & delicta obijciebantur, vt notat D. Auguſtinus 7. de Ciu. cap. 5. *Sed ipſorum*, inquit, *interpretationes Phyſicas audiamus, quibus turpitudinem miſerrimi erroris velut altioris doctrinæ ſpecie colorare conantur.* Et Tertullianus 1. contra Marcionem cap. 13. *Ipſa quoque vulgaris ſuperſtitio communis idololatriæ cùm in ſimulachris de*

nominibus & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat. Non erit operosum aduersariis Fludi respondere àd illius tergiuersationes, nisi fortè refellere piget, ne propterea aliquid putetur dixisse, quia ei responderi dignum habitum est, vt in simili dixit idem Aug. respondens Fausto Manichæo lib. 12. contra eundem cap. 65. Certè prædicta Fludi responsio est potiùs palinodia vel tautologia eorundem locorum Scripturæ centies repetitorum, malè intellectorum, tumultuariè congestorum, quàm vera Antiapologia. Solùm ne cui videatur Fludus fluctibus suis abluisse & abstersisse colores, quibus eum depinxi, & erasisse næuos ab effigie, obiter relinam in iis partibus, in quibus prædicti Auctores similes defectus animaduerterant, & eo ordine quo priùs procedam: & primò an rata debeat esse eius Physiologia in eo, quòd materiam primam Deo coæternam facit. Secundò in eo, quòd creaturam iure operandi spoliat. Tertiò in eo, quòd asserit Deum esse formam informantem & animã mundi. Quartò in eo quòd Deum facit auctorem peccati. Quintò in eo, quod docet de Angeli constitutione. Sextò in eo, quod dicit de animæ humanæ origine. Septimò in eo quòd tenet licitum esse cuilibet suo ritu Deum colere, vel posse quemlibet in sua religione salutem consequi.

De materiæ primæ origine. §.2.

FLud qui toties conqueritur de Antagonistarum infirmitate & debilitate, qui pagina 16. iactat se habere humeros atlanticos ad ictus retundendos, qui pag. 38. se pollere virtute Herculea, tamen transfuga legitimas certaminis leges transgreditur, extra lineam excurrit, circulum exit, firmiter pedem non figit lubricus & inconstans, vt iam patebit. nec mirum, quia veritas firmos habet pedes, quare dicitur *emet*: mendacium autem est inconstans, ideo Hebræis dicitur *secher*, vt ostendit Archangelus Burgonou. in fine tractatus in selectiora Cabalistarum dogmata. Vel vt ait Clemens Alex. 1. Strom. ante medium, veritas est vna, falsum autem innumerabilia habet diuerticula. Quare iusta subesset causa non congrediendi cum tali aduersario.

Flud hac in parte parum propositi tenax. §.3.

NOtabam in effigie Fludi inconstantiam & vacillationem inter duas opiniones discrepantes, vnam Artephij, aliam Paracelsi. Audiamus nunc an in aliqua earum quiescat, & an nulla sit Antilogia intra paucas paginas. Pagina 16. omnia ex nihilo, hoc est ex non exi-

ſtenti actu creantur: at pag. 7. mundus ex præexiſtenti aliqua materia creatus eſt: pag. 16. materia informis præſentia radiorū emanationis ſanctæ lucidorum informata, illuminata, atque creata dicitur: at pag. 17. ipſa rerum omnium materia prima non eſt creata: pag. 16. materia prima non eſt aqua, ſed hæc eſt materia ſecunda: at pag. 56. materia rerum omnium prima eſt aqua, de qua D. Petrus 2. 3. 5. ex quo prima fronte illud argumentum ad hominem ei ſoluendum incumbit, materia prima ſecundùm Fludum non eſt creata, aqua eſt materia prima ſecundùm Fludum, igitur aqua ſecundùm Fludum non eſt creata. Pag. 16. eſt iam in ſola potentia ad actum, & in mera potentia diuina reſeruatur: at ibidem producta eſt illa potentia in actum.

Flud à ſanctis Scripturis & Patribus ad hæreticos, & horum Patriarchas transfuga. §. 4.

QVamuis Flud fluctuabundus per diuerſas opiniones vagatus ſit, tamen vltimò in hunc ſcopulum malè feriatus vndis erroris & contradictionis impulſus impegit, & firmiùs adhæſit, vt diceret materiam primam eſſe Deo coæternam & increatam.

Primò itaque deſerit Scripturam ſacram; ſiue enim teneamus quòd materiæ primæ facta ſit mentio in illa, & quòd nomine terræ

inanis significata sit vt vult D. August. 12. Cõf. c. 8 siue non cum Tertull contra Hermogené, tamen vt pluribus ostendit ibidem, constans est omnia per verbum facta esse, & nihil existere præter Deum quod non sit factum.

Secundò deseruit chorum SS. P. quos partim citaui in effigie, partim citabo in decursu, quibus adde Lactant 1. instit. cap. 2. & c. 9. Zenonem Veronensem ser. 1. de Genesi. Iustinum in admonitorio: videndus Feuardentius in 2. D. Irenæi c. 11. vt nihil dicã de illis qui dicunt mũdum esse è nihilo conditum vt Greg. Naz. orat. in sanctum lauacrum versus finem, & de aliis qui dicunt nihil esse Deo coæternum. Videndus Ioannes Cyparissiota decade 8. c. 13. & cap. 10. vbi ostendit quòd omnia sunt creata excepto Deo.

Tertiò secutus est hæreticos Hermogenem, Hermianos siue Seleucianos, de quibus D. August. agit hæresi 59. Albanenses, & quendam Batauum Hermannũ Risuuich apud Alphonsum à Castro 11. *mundus* hæresi 1. Manichæos teste Niceph. 6. hist. c. 31. Philastrio hær. 8. & 14. quanquã Faustus Manich. apud D. Aug. l. 21. contra ipsum initio dicat, *Duo principia confitemur, sed vnũ ex his Deum vocamus, alterum hylem aut vt communiter & vsitatè dixerim dæmonem.*

Quod dicebam hac in parte Philosophos fuisse hæreticorum Patriarchas, dixi cum Tertulliano l. contra Hermogenem cap. 8. qui lib. de præscript. ait, *Vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est*; & lib. contra Valen-

tinianos cap. 15. *Age nunc discant Pythagorici agnoscant* Stoici, *Plato ipse, vnde materiam quam innatam volunt, & originem & substantiam traxerit in omnem hanc struem mundi, quod nec Mercurius ille Trismegistus Magister omnium Physicorum recogitauit.* Idem Platonicis tribuit Theophilus Antioch. 2. ad Antolycum fere initio. Adde Epicuræos qui dixerunt ex nihilo nihil fieri posse.

Sed ne Fludus gloriosum ducat se cum tot & tãtis Philosophis in ista opinione tanquam in equo durateo includi, possem ex Ethnicis testes multos in mediũ adducere, qui asseuerarent Deum esse omnium rerum auctorem. Immò ex Pythagor. Hierocles apud Photium cod. 251. Platon. hac in parte refellit. Sed neq; ita sensisse omnes Platon. testis est Æneas Gazæus in Theoph. post medium, vbi quòd materia non sit *ἄναρχος* docet Porphyrius ex Chaldæis & Plotino. Purgat item Platonem Theodoretus ser. 4. cõtra Græcos. Rationes quibus hic error potest explodi, possunt sumi ex citatatis auctoribus nempe quia si Deus egeret materia, nulla esset differentia inter Deum & mortalem opificem, quę ratio est Hebræorum apud Chalcidiũ Comm in Timæum Platonis, & exornatur à Theodoreto, Lactantio, Origene apud Euseb. 7. præp. c. 8. aliàs 2. & bene ait D. Athan. lib. de Incarnat. verbi *initio* quòd Deus non posset dici creator, sed artifex, nisi materiam condidisset, & eos Deum facere imbecillem, qui dicunt egere materia. Præterea

si materia prima esset increata, nullum ius & dominium haberet Deus in illam: & consequẽter, vt attigit Hierocles, quorsum illã Deus digerere conaretur? quam consequentiã bene vidit Iustinus *supra* parum à medio: *Atqui potestas materiæ*, inquit, *iuxta Platonis dogma ingenita est & ipsi opifici contemporanea & coæua: quo fit vt consentaneum sit eam ipsius voluntati non assentiri: ab illo enim qui non fecit in illud quod factum non est nulla vis atque potestas, &c.* illam autẽ rebellionem materiæ, & bellum plusquã Poëticum ex Manichæis refert D. Aug. & Niceph. & in hoc etiam illã resistentiam consistere dicunt, quòd non potuerit Deus facere ex ea quicquid voluerit; sed quasdam ipsius particulas fuisse ineptas molitioni & esse malorum seminarium, vt explicat Droserius huius erroris sectator apud Origenem Dialogo de recta in Deum fide art. 2.

Flud Fabulator. §.6.

Aliæ rationes possent proferri: sed qui cauillari volunt argumẽta multiplicant, qui verò philosophari, veritate rerum contenti sunt, ait Philo apud Euseb. *supra* c. 8. aliàs 21. solum adijciam Fludum hac in parte sequi fabulatores. Nam vt ait Theod. quæcunque fabulæ de ipsa materia peruagantur, eas diuina Scriptura in chaos illud, quod est apud Hesiodum Poëtam cõiecit. quod autẽ Chaos illud Fludo sit materia prima patet ex variis eius operibus, & hic pag. 30. Gassendo dicenti

Fludum docere velle chaos suum fuisse à Salomone & Iobo comprobatum consentit. qui enim tacet, consentire videtur. & alibi fabulam Demogorgonis è chao educentis & obstetricātis litigium (quā habes apud Burchardum Pyladem initio Theogoniæ) approbat. in quo præterea aduerte Spiritum contradictionis. Nam per hylam intelligit materiam primam, & eandem dicit esse aquam: & ait alibi quod pan, qui est aqua, est secundus Hylæ filius, igitur idem est filius quod mater.

Flud diuinæ Scripturæ tortor. §. 7.

VT hæreticis ferè mos est simplicia quæq; torquere, ait Tertullianus l. contra Hermogenem cap. 19. ita hoc valde familiare Fludo, maximè hîc, nam quæso te quid iste locus, quem pag. 56 affert ex 1. Corinth. 1. 28. *Elegit Deus ea qua non sunt, vt ea qua sunt destrueret*, ad probandum quod Deus produxit mundū ex materia informi, vel etiam ex nihilo. cùm sensus sit Deū elegisse Apostolos abiectos & qui pro nihilo habebantur, vt eos qui in magno pretio habebantur, nempe mundi sapiētes & potentes destrueret, idest humiliaret, inanem ostendendo esse eorū sapientiam: quid etiam loca pro Fludo faciunt quæ citat ex Iobo 12. 22 & Apostolo ad Hebr. 11. 3. nonne militant contra Fludum & probant Deum omnia creasse ex nihilo vt ex non existentibus.

Examinemus reliqua: productis illis testimoniis Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*.

& terram, & Ioan 1. *in principio erat verbum*. statim noua & inaudita visa est interpretatio Fludi, qui per principium intelligit materiam. sed legens Tertullianum legi quoq; desumptã fuisse ex hæretico Hermogene similiter ad hoc propositum primum locum detorquente. Cui adhibet triplicem expositionem: prima sit, *in principio creauit*. id est in principatu & potestate, quæ habet fundamentum in vocabulo Græco. secunda, *in principio*, id est in Sophia æterna: quæ expositio est etiam aliorum Patrum vt S Augustini 11. de Ciu. c. 32. tertia, *in principio* id est initio, quæ est communis. principium enim est inceptionis verbum. quod multis probat Tertullianus. vt dum dicimus in principio figulus fecit vrnam ex argilla, ibi principium non denotat materiam sed ordinẽ operis. præterea probat. quia si principium materiam significaret, non ita scriptura instruxisset, in principio Deus fecit, sed ex princio. non enim in materia sed ex materia fecisset.

Ad secundum locum, vt omittam quòd ex illo potius Tertullianus conuincit Hermogenem, & probat omnia facta esse per verbum & ibi nullius materiæ fieri mentionem, respondeo nunquam venisse in mentem interpretationem Fludanam sanctis Patribus, licet pluries prædictum locum tractarint. Sed aliqui per principium intelligunt Patrem. alij & magis iuxta litteram intelligunt initium, ita vt S. Ioannes, qui suum Euangelium scrip-

ſit ad refellendos hæreticos qui malè de filij diuinitate ſentiebant, voluerit dicere quòd filius iam erat in initio creationis & quòd non eſt creatura, ſed Deus æternus. ita vt nihil prius eo cogitari queat, quod nullo potuit principio præueniri, ſic Fulgentius 2. ad Traſimundum c. 5. Anaſtaſius Sinaita 1. de rectis fidei dogmatibus. Baſilius l. de ſpiritu S. ad Amphilochium cap. 6. *Ioannes*, inquit, *pulchrè duabus vocibus cogitationem intra terminos præſcriptos recluſit cùm ait*, in principio erat verbum. *Hæc enim vox erat nullum cogitationi præbet exitum: quēadmodum hæc* principium, *non dat tranſitum humanæ mentis imaginationi: quantumuis enim cogitatione curras ad anteriora, non excedis erat. & quantumuis institeris videre quæ ſint vltra filium, non poteris tamen ſuperare principium.*

Sed contra allatam expoſitionem inſtat Fludus, vocabulum *principium* non poteſt dicere ordinē quia nullus erat. verum eſt quòd extra Deum, cùm nondum erat mundus conditus, nullus erat, ſed Deus poſuit ordinatim procedendo in rerum productione. & ſicut prima creatura fuit principium numeri : ita & initium ordinis numeralis. Secundò inquit Flud. non poteſt importare ordinem loci quia nullus erat, eſto. quanquam poſſet quæri à Fludo vbinam eſſet illud principium tenebroſum? ſi reſpondeat in Deo. certè in eo tenebræ non ſunt vllæ. Tertio ait Flud. prædictum nomen non poſſe notare principium temporis, quia nondum erat. ſed hoc futile

est, & simili argumento conabantur Aristotelistæ probare mūdum esse æternum & nunquam incepisse. dicebant enim si mundus incepit & factus est in tempore, vel quando erat, vel quand non erat: neutrum autem potest dici. quia illud, *quando* designat tempus, quod nondum erat antequam mundus fieret. ad quod Respondent Theologi cum D. Augustino 11. de Ciu. cap. 6. mundum non esse factū in tempore, sed cum tempore. similiter soluitur, Sophisma Sexti Empyrici l. 9. cōtra Mathematicos §. *an sit tempus*, & l. 3. Pyrrhoniarum Hypotypos. c. 17. quo nititur probare non potuisse incipere tempus & nullum esse. si inquit temp⁹ incipit, vel incipit esse in tempore, vel non. si non, igitur non incipit, quia quicquid incipit, in tempore incipit. quòd si in tēpore, vel in seipso, vel in alio. non in seipso, alioqui idē esset à seipso diuersum, & idem esset, & non esset: esset quidem, quia quod fit in aliquo, in eo tanquam præexistente fit: non esset autem, quia fieret & inciperet. quod si fit in altero tempore, de illo redibit quæstio in quo fiat, & sic in infinitum. ad quod dicitur tempus incœpisse in seipso vt optimè ait Theodorus Abucara opusc. 34. *tempus*, inquit *neque est in tempore* (nempe alio quàm seipso,) *neque non est in tempore*. scilicet extra seipsum. quod enim dicitur quicquid incipit in tempore diuerso à seipso, verum est de rebus, quæ tempore mensurantur, non autem de ipsamet mensura. Sicut quantitas non

est extensa per aliud, quàm seipsam, sed est ipsamet extensio formalis, qua aliæ res sunt extensæ. quod autem dicitur si tempus incipiat, fore vt sit antequam sit, negatur de tempore reali, sed tantum sequitur ante quodlibet tempus præcedere aliud possibile vel imaginarium.

Ad propositũ. dum dicitur, *in principio creauit Deus cælum & terram*, sensus genuinus est, Deus in condendis operibus initium & exordium sumpsit à cælo & terra. iam si quæratur in qua mensura durationis celum fuerit creatum, respondendum erit, esse creatum vel in æuo, vel semiæuo, vel instante permanente. præterea illud principium non significat initium temporis quod iam sit, sed quod mox futurum sit, ita vt instans quo creatur cælum statim voluendum, sit instans negatiuum & extrinsecum circularis reuolutionis & motus cum quo idem est tempus, vel cuius est mensura.

Vltimus locus, qui magis videtur suffragari Fludo, sumitur ex Sap. 11. 18. vbi habetur, *Manus omnipotentis mundum ex materia informi siue inuisa creauit*. Si hunc locum explicare velimus, fortè respondebit vt fecit Gassendo pag. 30. nempe non potuisse alio modo respondere quàm rejiciendo interpretationem seu trãslationem D. Hieroni. quàm hæc sunt infirma & puerilia. Falleris Flude non reiicimus, sed nec sicut tu facis, confundimus interpretationem verbalem cum expositione interpretatiua secundùm sensum. potiori iure tibi

obiici posset quod interpretationem illius loci, *in principio creauit*, non tantum secundum veram intelligentiam, sed etiam secundum literam deseris, cùm illa verba quodcunque potiùs ferant, quàm illud principium materiale tenebrosum, quasi verò principium non habeat aliam significationẽ vsu mægis receptam. debuerat meminisse Fludus illius, quod toties inculcat, litera occidit.

Nunc ad rem. sensus est Deum creasse mundum sensibilem & corporeum ex materia, quæ de se caret forma Physica, ita tamen creasse ex illa materia, vt saltem priùs naturâ creauerit illam materiam; vel saltem concreauerit. & sapiens potiùs loquitur de creatione, prout dicit distinctionem partium mũdi & ornatum, quàm de materia omnino prima, & fundamento totius entis corporei. Itaque primò Deus creauit materiam informem, non quidem nudam ab omni forma (non disputo modò an hoc potuerit) sed carentem forma nobiliori, quam erat receptura: illa autem materia dicitur informis & inuisa, quia defectu lucis, videri non poterat. tenebræ enim erant super faciem abyssi, siue aquæ terram operientis, siue vt exponit D. Augustinus mox citãdus, terra erat obscurior quam abyssus. & similiter potest exponi D. Paulus dum ait, *v: ex inuisibilibus visibilia fierent.* Sed ne dicat Fludus hanc expositionem esse nouam & confictam, audiat D. Augustinum 12. confess. cap. 8. *terra, quam dedisti filiis hominum ceruen*

dam atque tangendam, non erat talis, qualem nunc cernimus. inuisibilis enim erat. addit. *illud autem totum prope nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat. iam tamen erat quod formari poterat. tu enim domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re pene nullam rem, vnde faceres magna.* & infra *terra autem ipsa quam feceras, in formis materies erat, quia inuisibilis erat.* Vides Flude materiam, quam informem dicit sapiés, esse factam & non esse æternam, esse creatam è nihilo, licet sit ens tam imperfectum, vt non longé distet à nihilo: habeo & testem antiquiorem Tatianum Assyrium orat. contra Græcos: vniuersam, inquit, mundi machinam, & quicquid in ea conditum exstat, è materia constitutum esse patet: ipsam verò materiam productam, ita vt partim rudis & informis intelligatur, antequam discerneretur: partim conformata & digesta post peractam eius discretionem.

Argumentum Fludi vulgare & tritum conteritur. §. 6.

Timebam Fludi tumentes Fluctus, dum pag. 16. vidi paratum ad probandum materiam primam non esse creatam. Sed facilè alliduntur. nihil autem profert quod non emédicarit à nostris, & quod non sit vulgare in scholis. *Quicquid*, inquit, *creatur in actuatur, quoniam omnis creatio est deductio potentia & quasi nihili in actum: at materia prima non in actuatur: ideo non creatur. minor sic probatur. quod quidem*

iam est in sola potentia ad actum, non inactuatur; at materia prima iam est in sola potentia ad actum: ergo minimè inactuatur. porrò quod sit in sola potentia ad actum ex eo elicitur, quatenus deest illi forma: & per consequentiam pro nihilo videtur haberi, quippe quæ in mera potentia diuina reseruatur, & pro tali à sapientibus æstimatur.

Respondemus duplicem esse potentiam preter actiuam, & duplicem actum ei correspondentem. prima dicitur à Theologis obiectiua quæ est non repugnantia & possibilitas vt res fiat. obiectiua autem dicitur quia est obiectũ alicuius facultatis actiuæ, quæ potest talem potentiam in actum reducere. & tali potentiæ respondet actus entitatiuus, vt vocant, siue existentia. secunda est passiua, cui respondet actus Physicus siue forma, & hæc potentia potest dici subiectiua & receptiua. hoc posito, dicimus, quòd iam materia actuatur & est actuata dupliciter, primò per propriam existentiam. secundo per formam Physicam cui vnitur; & proinde vtraque potentia est expleta in materia, obiectiua quidem totaliter: Subiectiua vero ex parte, quaten⁹ per plures formas, quas recepit & sustinet, quantum ad formas materiales & corporeas perficitur: non est autem adæquatè expleta, quia non tot formas recipit, quin plures, quas appetit, possit recipere. quod dicitur deesse illi formam, falsum est simpliciter, plures enim suo gremio fouet. verum est tamen quòd in sua natura & essentia non inuoluat formam Phy-

ſicam, & actum Phyſicum, ſed tantùm ordinem, potentiam, aptitudinem & appetitum ad illum habendum. & hoc ſenſu in genere Phyſico, & in ratione principij Phyſici eſt pura potentia Phyſica. at in genere entis & Metaphyſico non eſt pura potentia, ſed gaudet actu entitatiuo, & exiſtentiali. quicquid enim exiſtit, eſt actu in rerum natura, licet præſcindantur omnia quæ ei poſſunt aduenire, nec emendicat exiſtentiam à forma, ſed tantùm exiſtentiam in ſpecie Phyſica completa, & eãdẽ exiſtentiã, quam habet ſub vna forma, retinet ſub alia. ſicut enim habuit potentiam vt primæ formæ vniretur tanquam ſubiectũ actui Phyſico, ita eandem retinet vt vnâ forma expulsâ vniatur cum alia ad faciendum aliud compoſitum: non capio autem quomodo Fludus dicat materiam primam exiſtere, exiſtit enim quod præexiſtit, & tamen omni actu ſpoliet, quomodo etiam dicat reſeruari in mera Dei potentia ſi exiſtit. quod enim exiſtit, actu eſt, & non eſt duntaxat poſſibile vt exiſtat. poſſibilitatem enim meram excludit actus, & ſi materia iam eſt in ſola potentia ad actum, igitur non tranſiuit ad actum, cur igitur pag. allegata ita concludit. *in mundi ergo creatione producta eſt materia iſtius informis potentia in actum.*

Fludi

Flud cauillatio. §. 7.

EX vltimis verbis Flud. initio puncti superioris citatis videtur quòd Flud claue sua aperit suam mentem, fortè enim sumit materiam primam pro cuiuslibet rei possibilitate siue non repugnantia vt producatur & existat. & proinde vult dicere, in quantum conijcio, quòd materia prima iam est in sola potentia ad actum quantum ad res nondum productas & possibiles; est autem producta ad actum quantum ad res existentes. quod est dicere aliquas res existere & à Deo conditas esse, alias non esse productas sed posse produci. & consequenter in tali modo opinandi materia mundi, ex qua est productus, fuit mundus vt potens existere. & materia lucis erit lux in potentia, & materia animæ erit anima vt potens existere & nondum existens. Egregia Philosophia quæ tollit è rerum natura materiam, quæ sit principium Physicum componens cum forma totum Physicum, sit fundamentum generationum, gremium formarum sibi succedentium. quod si dicat talem existimari à sapientibus, quæram à quib⁹. si enim loquatur de Ethnicis. an non apud illos habiti sunt sapientes Plato, Zeno, Aristoteles & sequaces? qui tamen si ita sumpsissent materiam primam, non incurrissent censuram Ecclesiæ & sanctorum Patrum; Cathalogum hæreticorum non auxis-

ſent Hermogeniani & alij. ſi loquatur de Christianis, an nō apud iſtos ſapientes Sancti Patres quos citaui & optimè Dionyſius Alex. 1. aduerſus Sabellium, referente Euſebio 7. præp. cap. 8. aliàs 19. *Deus* inquit *impaſſibilis, immutabilis, immobilis, atque actiuus eſt: materia verò contra paſſibilis, mutabilis, mobilis, omnis altrationis receptiua.* Quod non cadit in nihilum & non repugnantiam: denique cùm ipſe Flud. dicat quòd materia prima eſt aqua. exiſtimat-ne aquam eſſe nihilum & in ſola potentia diuina reſeruari vel eſſe meram non repugnantiam vt res fiat?

Oblitus fere eram dicere aliquid de ſcholæ Coryphæo D. Thoma, cuius auctoritate ſe poſſet fulcire Fludus, ſed quamuis 1. p. dicat materiam primam non exiſtere in rerum natura per ſeipſam, cùm non ſit ens actu niſi per formam; tamen neque dicit eſſe non repugnantiam, neque eſſe æternam, neque increatam, ſed eſſe concreatam cum forma aliqua.

De facultate communicata creaturæ ad agendum. §. 8.

FLudi Phyſiologia eſt naturam naturatam ſiue creaturā nihil omnino operari. quamuis autem hæc quæſtio habeat connexionem cum illa de anima mundi, & Flud vtatur promiſcuè locis ſcripturæ, quib⁹ videtur probari quòd Deus ſolus operetur, & iis quibus

astruit Deum esse animam mundi: tamen discernendæ sunt perspicuitatis causâ. rationes quibus debeat rejici Flud, indicaui in effigie, solùm ad eius tergiuersationes respondebo, & loca Scripturæ sacræ explicabo.

Brutum fulmen Fludi in Orthodoxos quasi Idololatras. §. 9.

FLud tanto ardore exardescit in eos, qui vim operandi creaturæ tribuunt, vt Idololatriæ stigma eis inurere tentet. Cur? *quia* inquit pag. 16. *est abominobilis & detestanda à potestate & virtute diuina derogatio ea creaturis tribuere, quæ creatori soli & vnico sunt propria.* & ante dixerat properea Lanouium esse diuinæ maiestatis hostem & amicum Idololatriæ. & pag. 63. *quid ineptius quàm actum, motum atque vitam in se & per se rebus planè mortuis inesse asseuerare? hinc Idololatriæ origo: hinc* Dei *neglectus & vana in creaturis confidentia.*

Vtrum rebus mortuis vitam tribuamus, & quomodo per se actum & motum, postea videbimus, nunc de prætensa Idololatria. mentitur egregiè Fludus dum ait nos diuinæ potestati derogare, immò maximè eius commendamus bonitatem, quòd voluerit se communicare creaturis, & communicando essentiam, & naturam communicare facultatem operandi & simile producendi, cum dependentia tamen ab ipso, & suprema potestate. & sicut non est ita proprium Dei esse,

quin sit creaturæ communicatum, ita non est ita proprium Dei operari, quin etiam hoc habeat creatura per participationem. Incurremus autem crimen tre Idololatriæ, si plures Deos agnosceremus; si non agnosceremus vnius Dei prouidentiam in omnibus, & concursum cum omnibus; si ita Deum negligeremus, & in creaturis consideremus vt existimaremus illas aliquid posse sine Deo. & si sit Idololatria asserere creaturas dependenter à Deo aliquid operari, aliquos motus edere, igitur docet Idololatriam Scriptura sancta, quę docet Deum initio creationis vim se propagandi dedisse creaturis Genes. 1. & Lucæ 21. dicitur de arboribus, quod producunt ex se fructum, & passim alibi creatura dicitur operari. Igitur Idololatræ sancti Patres qui vim se mouendi & operandi in creaturis agnoscunt vt D. August. 7. de Ciu. c. 30. igitur Idololatræ omnes qui fatentur Angeli & hominis liberum arbitrium. igitur Idololatræ, qui negant Deum esse auctorem peccati. sed ne parcior sim quàm Fludus pro consequentiis, quas trahit, sequentes repono: si creatura nihil agit, igitur secundùm Fludum Deus est auctor Idololatriæ, qui primorum Idololatrarum mentes mouit, vt simulachra formarent, qui manus pictorum, & sculptorum direxit. igitur Idololatriæ propagator qui eadē in similibus operatur, qui impios irretit, & ad ruinam inopinatam adducit, vt loquitur sect. 2. microcosmi l. 1. c. 2. quænam enim maior ruina quàm Idololatria. Igitur ipse-

met Deus Idololatra, qui sub effigie hominis coram Idolo genuflectit. Iudicet æquus iudex quis ex duobus transferat in creaturam ea quę sunt propria Dei, an ille qui dicit creaturam Deo adiuuante, & concurrente operari, an verò ille qui æternitatem tribuit materiæ primæ independenter à Deo? quis enim alius Dei census, quàm æternitas inquit Tertullianus l. contra Hermogenem cap. 4. ad illum prouoco qui viuebat eo tempore quo paganismus vigebat & Idololatria grassabatur, qui materiarios huiusmodi refert inter Idololatras. sic enim scribit l. de præscript. c, 33. *Idem Apostolus* (ad Gal. 4.) *cùm improbat elementis seruientes, & aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam non natam introducens Deo non nato eam comparat. & ita matrem elementorum Deam faciens potest ei seruire, quam Deo comparat.* Idem Tertullianus l. de Idololatria cap. 9. artes, quas studiosè pertractat & defendit Flud, puta magiam, Genethliacam & similes dicit esse obnoxias Idololatrię, & harum auctores esse Angelos desertores. sunt & reliquiæ Idololatriæ in Fludo, qui iurat per Herculem, *quis enim* inquit Tertull. c. 20. *per quos deierat, non honorat?* Tandem quis Idololatra, an ille qui Deum bonum colit? an vero ille, qui Deum malum & auctorem peccati & consequenter pseudotheum, & diabolū? nullus enim est Deus qui sit auctor peccati, sed tantùm diabolus. quòd si in ethnicis Idololatria fuit Iouem vitiorum exé-

plat & alios sceleratos, an non maior adorare eum, quem omnium scelerum auctorem & executorem existimes? pagani enim tantùm attribuebant crimina personalia diis suis, & eos alienis sceleribus non onerabant.

S. Scriptura, qua Flud prætensam Idololatriam exagitat, ad natiuum sensum reducitur. §. 10.

FRustra laborat Flud in aceruandis testimoniis Scrip. ad probandum Deum operari omnia in omnibus. nam hoc vltro damus, cùm eius concursus interueniat in omni actione. sed probare quòd post mundi primam constitutionem Deus solus operetur, & nullo modo creatura cooperetur, hoc opus, hic labor est. duo testimonia videntur vrgentiora.

Primum est illud Isaiæ 44. 24. quod non semel truncat & sic proponit pag. 15. & 64. vt incautis fucum faciat ea quæ sunt media, ex quibus pendet intelligentia, supprimendo *Ego sum dominus faciens omnia, & nullus mecum.* sic autem habet integer locus, *ego sum dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* quis non videt hîc Prophetam loqui de prima mundi conditione & eius principalium partium conseruatione, & non excludi causarum secundarum consortium in rerum creaturum propaga-

tione & suaui administratione, sed tantùm excludi synergiam creaturæ in mundi molitione. & proinde hic locus non ferit eos, qui efficaciam & vim operandi tribuunt creaturæ, sed Manichæos & alios qui ponebant duo rerum pricipia, vel Archonticos, de quibus Philastrius initio hæreseologiæ, & Alphonsus à Castro v. *mundus*, hæresi 3. qui dicebant Deum curam producendi mundum demandasse Angelis, quos refellit D. Irenæus l. 1. c. 23. & l. 2. c. 2.

Secundum producit ex actis Apostolicis cap. 17. 25. Deus non indigens aliquo dat vitam, & inspirationem & omnia. de vita infra dicam: nunc ad illud *non indigens*, in quo vim facit, dico non excludi consortium agentium subalternatorum. quis enim si attendat ad præcedétia, in quibus dicitur quòd Deus humanis non colitur, non statim videt sensum esse Deum ex mera liberalitate, & non ex indigentia, nihil enim in eius commodum & vtilitatem cedit, dare vitam & necessaria ad vitam iis quæ viuunt, licet hoc præstet interuentu aliarum creaturarum. nonne ipsemet Flud hoc agnoscit dum pag. 10. ait Deum operari omnia mediantibus ministris Angelicis? nonne & Apostolus ait 1. Cor. 3. 9. *Dei sumus adiutores*? nonne quis iure potiori allata testimonia in Fludum retorqueret, qui vult mundum non esse à Deo creatum ex nihilo, sed Deum indiguisse materia?

Ratio & cauilli Fludi euertuntur
§. 11.

PEdissequa ratio Fludi hæc est pag. 65. *si aliqua creatura agit per se, sequitur profectò, quòd illa principium istius actus habeat aut per se & à se, aut aliunde. si aliunde, necesse est aut à fonte diuino, aut ab aliquo principio, quod est coæternum Deo. si prius concedatur, nimirum, quòd sit à fonte diuino, tunc omnis emanatio est continua, & non diuisa à suo fonte quasi alpha ad omega, vel finem vsque se continuò extendens. nam diuinitatis essentia est indiuisibilis: & per consequens est Deus per se, non creatura per se, qui operatur omnia in omnibus.*

Respondemus: absit vt cum Manichæis aliquod principium Deo coæternum ponamus siue efficiens, siue materiale cum Fludo: sed agnoscimus vnicum, & dicimus omnes creaturas & creaturarum facultates emanasse à fonte diuinæ bonitatis, & continuè à Deo conseruari, & non solùm hoc, sed etiam addimus principium operatiuum, quod datum est à Deo creaturæ, non posse prodire in actum & sortiri effectum absque concursu Dei, & eius ope subsidiaria, quippe quod habet suum esse precariò & emendicatum & dependēs à Deo. Quid autē velit Fludus dum ait quòd essentia diuinitatis est indiuisibilis, & per consequens est Deus per se, & non creatura

creatura per se, non satis video, sicut nec quando dicit quòd Trinitas est indiuisibilis, & personæ diuinæ non separantur ab inuicem, & quomodo ex eo probet Deum solum operari, concedimus autem quòd Deus solus sit per se idest à se & non ab alio, nec vnquam diximus vllam creaturam, aut principium operatiuum esse hoc modo per se & à se habere vim agendi. Cùm verò dicit pluries quòd Deus indiuisibilis, si intelligat quòd non potest subsistere & operari creatura si separetur & diuidatur à Deo, sicut riuulus non potest fluere perenniter si à fonte diuidatur, concedimus, quo tamen non obstante dicimus siue in actionibus naturalibus & necessariis, siue liberis; siue externis, siue internis creaturam Deo cooperari: nec ineptia vlla est, vt fingit, dicere quòd aliqua creatura producatur ab alia & ab ea dependeat dependentiâ subalterna & particulari, & simul pendeat à Deo dependentiâ vniuersali & suprema.

Ex quo videre est quòd Flud imponit aduersariis dicens pag. 64. Gassendum innuere quòd causæ naturales quasi secundariæ per se, hoc est sine immediato Dei actu agere possint, & cauillatur ludés in æquiuoco non enim aduersarij sumunt particulam, *per se*, prout idem significat ac seorsim & separatim excluso concursu Dei: sed *per se* sumitur prout opponitur ei quod est per accidens; sic dicimus ignem per se calefacere id est per calo-

rem natiuum; aquam verò calefacere per accidens, id est per calorem ascititium sibi aliunde impressum.

Cauillatur idem dum pag. 63. ait aduersarios docere Deum solummodò agere vt causam efficientem principalem, & non vt intermediam & finalem, *Quasi verò*, inquit pag. 64. & 65. *Deus non sit alpha & omega, tam finis quàm principium, seu in fine & conclusione.* Non enim Deum esse causam primariam ita intelligunt, vt produxerit mundum, & deinde cætera fiant à solo mũdo sicut ille ordinauit, quod bene improbat D. Augustinus 5. de Genesi ad lit. c. 20. neque etiam quòd Deus inchoet actionem, vel aliquod opus, & quod deest perficiendum relinquat creaturæ, vt verb a Fludi præ se ferunt. nec inficiãtur prætereaDeum essa alpha & omega, idest esse causam efficientem & finalem. Sed nihilominus volunt esse causas efficientes & finales subalternas. In quo præterea aduertas Fludum non sumere causam finalem prout mouet agentem, nec prout ad eam collimat actio; sed prout ad finem & extremitatem vsque perducit, & proinde non attingere veram finis causalitatem, quæ est intentionalis motio agentis. nec finis constituitur in ratione principij causantis prout est vltimus in executione, sed vt est primus in intentione.

De Physica Dei perfectione. §. 12.

HAnc dicebam in effigie violari, si Deus sit anima interna mundi, & forma informans. & ex hoc fonte, vt bene viderunt aduersarij, præcipuè scaturiunt impietates Fludi. & reuera Eusebius Cæsar. 3. præp. Euang. c. 9. arbitratur in profundum impietatis incidisse eum, qui ausus est animam mũdi esse intellectum, qui omnia creauit, tetigi rationes, auctoritates produxi quibus iunge quod ait D. Augustinus 7. de Ciu. c. 5. vbi loquens de anima humana duplicem errorem Fludi ingulat. *Nec cuius portio, inquit, sed cuius conditio est, nec qui est omnium anima, sed qui fecit omnem animam.* Nunc sunt videnda Fludi obtendicula & diuerticula, & vtrum aliquid explicatius dixerit quàm antea, & nos introducat claue sua in penetralia cordis, claritatis gratiâ, licet Flud confundat, in duas partes est distinguenda quæstio. Primà an Deus sit forma informans. Secunda an sit talis forma, quæ sit vita per quam omnia viuant. & quia latiùs patet forma quàm anima, cùm omnis anima interna sit forma, & non è conuerso, ideo exordium ducum à forma.

An Deus sit forma informans. §. 13.

NEgant Orthodoxi, immò dicunt nõ esse possibile quòd Deus fungatur munere

causæ formalis, quia proprium est formæ informantis habere naturalem inclinationem ad materiam tanquam compartem, & ei vniri ad faciendum vnum totum in genere Physico: at Deus non habet talem inclinationem, nec Dei natura potest cum natura creata conflare vnum Physicum per se, & aliam naturam totalem ex vtroq; extremò resultantem. Affirmat Fludus saltem in terminis. Videtur tamen intelligere causam efficientem per formam, vel confundit causam formalem cum effectiua; nam creare est efficere, & creatio est efficientia: at secundùm Fludum pag. 15. creatio est informatio, & certè multa loca Scripturæ S. quorum non est parcus, probant tàtùm Deum esse causam effectiuam omnium.

Si ita est, debent in hac parte cessare iurgia: peccat tamen Flud, in modo loquendi & dedit ansam aduersarijs ipsum impugnādi, nam Orthodoxi dicunt esse formam & animam assistentem, Flud dicit esse informantem, illi volunt esse externam, iste internam. Secundò in eo quòd non distinxit inter officium causæ efficientis, & munus causæ formalis. Tertiò cùm nullam aliam causam formalem agnoscat quàm Deum (licet non sibi constet, cùm l. 2. macrocosmi approbet illud Aristotelicum 4. Metaph. *Vbi est minus forma, ibi plus materia & è contra*, quod non potest intelligi de Deo qui non est capax augmenti vel decrementi, & ratione sui non potest magis esse in vno quàm alio, sed tantùm ratione formæ

quam producit) & Deus non possit fungi proprio officio causæ formalis, sequitur quòd nulla sit propria causa formalis, & cõsequenter receptum communiter causarum quaternarium immunit. Quartò ea quæ ipsi ab aduersariis obiiciuntur non abstergit & diluit, pauca quæ habeo cum illis communia profero. Obiecerat Mersennus sequi ex opinione Fludi Deum facere compositionem cum spiritu æthereo pag. 61. respondet Flud ridiculosè. *Hoc est falsum*, inquit, *non feci enim* Deum *compositionem*, quasi verò Mersennus dixisset quod Flud facit Deum compositionem, & non potiùs quòd Deus facit compositionem cum spiritu mundano, id est venit in compositionem tanquam pars, in quo modo loquendi non est sensus quòd Deus se habeat actiuè sicut quãdo dicitur Prouerb. 8. *Cum ipso eram cuncta componens*, id est ornans & digerens: ad argumẽtum verò quo vrgetur, nempe sequi Deum esse partem, si sit forma informans in genere causæ formalis internæ, sic respõdet, non propterea fore partem quia est indiuisibilis & simplex, quasi verò obstet rationi partis simplicitas, si cætera adsint. Immò omne compositum Physicum debet vltimò resolui in principia Physica simplicia in genere Physico: licet illa principia possint esse composita in alio genere, vel si per indiuisibile intelligit inseparabile, non promonet suam causam. nam quòd aliqua forma sit inseparabiliter vnita cum materia, non officit compositioni, modò

ſit diſtincta, immò fortior eſt. Quintò argumentum, quod facit vt probet Deum eſſe formam, aliquid amplius probat quàm Deum eſſe cauſam efficientem. Eſt autem tale pag. 16. quod facit tale, eſt magis tale: at Deus eſt formarum dator, ergo eſt magis forma, ſi enim per formam intelligit cauſam efficientem & agẽtem, iam reſilit ab opinione quam mordicus tenet, nempe non dari vllam cauſam efficientem præter Deum, & mirum eſt quomodo hoc argumento vtatur Flud qui, vt dixi, in exilium mittit omnes cauſas formales præter Deum.

Sed directè ad argumẽtum quod ſumptum eſt ex illo axiomate Ariſtotelico 2. Metaph. c. 2. *Id maximè tale eſt, quod eſt cauſa cæteris vt ſint talia*, vel iſto *propter quod vnum quodque tale & illud magis*, miſſis variis conditionibus quæ requirũtur vt axioma verificetur, dico vnã eſſe neceſſariam ſcilicet vt ea, quæ comparantur, participent formaliter & ſecundùm eandem rationem formam de qua agitur, ſic, vt exiſtimo, Medicus noſter non valde approbaret iſtud argumentum. *Quod facit ſanum eſt magis ſanum: Medicina, vel deambulatio facit animal ſanũ, ergo medicina, vel deambulatio eſt magis ſana.* Nec iſta debent approbari, *Quod facit auritum eſt magis auritum: Deus fecit aſinum auritum, ergo Deus eſt magis aſinus vel auritus: quod facit corporeum, eſt magis corporeum: Deus fecit mundum corporeum & ſenſibilem, igitur Deus eſt magis corporeus & ſenſibilis, & ſimilia.* Probãdum ita-

que priùs esset Fludo quòd Deus sit capax subire vices formæ in genere formæ vt inde eliceret esse magis formam, quia formas producit: breuiùs, valet axioma sic modificatum, *Quicquid est causa cæteris vt talia sint, illud est magis tale vel formaliter, vel eminẽter.* Et sic dicimus Deum producere formas & animas, quia eas continet eminenter, non autem formaliter & secundùm propriam speciem, cùm gradus vitæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & discursiuæ non sint formaliter in Deo, sed tantùm eminenter, alioqui Deus esset capax augmenti, sensus & discursus.

An Deus sit anima per quam omnia viuunt. §. 14.

DIcimus primò quòd Deus non potest formaliter per seipsum esse vita & anima interna etiam eorum quæ viuunt, quia, vt dictum est, nõ potest esse forma, cuius species est anima, & quia non continet formaliter gradus animarum, potest tamen esse efficienter quatenus potest producere viuentia, vel animas, quæ illa constituunt in ordine viuentium. Secundò dicimus quòd nequidem efficienter est vita omuium, quia non omnia viuunt vitâ propriè dicta, cùm enim præter vitam Angalicam in rebus corporeis distinguãtur tantùm tres gradus vitæ nempe vnus vegetatiuæ tantùm competens plantis, alter ve-

getatiuæ & sensitiuæ, simul conueniens brutis, tertius vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectualis proprius hominis, & tamen multa sint entia præter plantas, bruta, homines & Angelos, consequens est non omnia viuere vita vera & propriâ, esto metaphoricâ, & similitudinaria, vt aqua quæ perenniter fluit, vt Mercurius, &c.

Flud in hoc negotio abutitur Scripturis sacris, & vana nititur experientia. §. 15.

FLud contendit omnia creata viuere, licet vt ait pag. 70 in quibusdam vt mineralibus anima sit profunda, imperceptibilis & occulta. Certè ita est profunda & occulta, vt latuerit Philosophos tam Ethnicos, quàm Christianos, quorum est naturæ viscera rimari. & caruerunt experientiâ, quam fecit Fludus, quæ sic habet pag. 69. *Videmus*, inquit, *quòd plumbum super palatiorum tecta expositum coctione solari à statu plumbi maturationis gradibus pergit & transit in aurum.* Ac si plumbum vt fruges maturesceret, plumbeum certè argumentum, an hoc probat quod viuat plumbum, quia vi solari conuertitur in aurum, vel fæces exuit? quod ait de incremento lapidum, non arguit in eis esse vitam, nam aliud est crescere per alimenti intus susceptionem, quod est pro-

prium

prium viuentium : aliud per iuxta positionem & agglutinationem, quod etiam conuenit inanimatis.

Fortè magis fauent loca Scripturæ, quæ ita prodigit, vt opus esset grandi cõmentario ad ea explicanda. verùm aliqua tantum probãt, Deum inesse omnibus secundum essentiam, potentiam, & præsentiam, omnibus dare esse & conseruare, & ipsemet Fludus animam sumit pro essentia pag. 69 quis autem negauit in quolibet esse suam essentiam & quidem à Deo participatam? sed aliqua, quæ affert aliquid amplius probare videntur, quæ sunt breuiter enubilanda.

Citatur illud Io. 1. *in ipso vita erat*, ex quo nescio quas consequentias trahit inconsequenter Fludus, sicut ex eodem perperam Manichæi inferebant omnia esse animata & viuere, vt refert D. Aug. tract. 1. in Ioannem, verùm ex eo quòd in Deo sit vita & verbum sit vita, estne concludendum quòd omnib⁹ vitæ gradum communicet? an omnia quæ habet Deus omnibus communicat? vnde illud Fludi. *Si vita est in verbo, sequitur, quòd verbum (vt pote vitæ dator) sit illud, quod animat rem quamlibet*, verùm est si res illa sit vitæ capax, vel si velit ei communicare, quod non facit omnibus nec per seipsum formaliter, sed per animas quas producit, & quas non obstante vnica anima ipse Flud à Deo distinctas agnõscit pag. 70. sensus itaque Euangelistæ est omnia à Deo facta esse, nec mirũ, quia sicut fons aquæ viuæ non

exhauritur, licet aqua hauriatur, vel riuulus ex eo fluat: ita verbum est sufficiens ad omnia procreanda, bene etiam exponitur à D. Augustino allegato, vbi sic legit, *quod factum est in ipso vita erat*, & loqués tam de causa secunda sine artifice creato, quàm de prima ait. *Arca in opere non est vita, in arte est vita, quia viuit anima artificis, sapientia Dei secundùm artem continet omnia, terram vides, cœlum, solem, lunam, fuerunt ista in arte, sed foris corpore sunt, in arte vita sunt*, ex quo vides quòd in verbo omnia viuunt, quatenus in eo continentur idealiter. creatura enim in Deo est creatrix essentia. sed non propterea quodlibet viuit in propria natura extra causam: sic statua, arca, & quodlibet artefactum in mente artificis viuit, sed non extra illam.

Secundò profertur illud Isaiæ 45.8. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & pariet Saluatorem, vt legit Flud, sed nunquid videt ibi esse metaphoram & figuram locutionis secundùm quam continens sumitur pro contento, nec intelligitur de terra, quam pedibus calcamus, sed illius incola. est enim vaticinium de beata Virgine matre Dei, alioqui existimatne Fludus homines, vt dicitur de Gigantibus vel Cadmeo exercitu, esse satitios, quod opinati sunt quidem fabulatores, quos explodunt Philo l. *quod mundus sit incorrupt.* Lact. 1. Inst. c. 11. Euseb. 7. præp. c. 7. Theodoretus serm. 5. contra Græcos post quos Rhodig. l. 2. Antiq. lect. c. 19. quòd si di-

cat Flud, ſe quoque intelligere de beata Virgine terra illa benedicta, cùm pag. 15. poſt allatum iam dictum teſtimonium, *verbum ergo in compoſito reperitur, & ex compoſito exit, ſeu editur diuinitus*, puta ſecundùm humanitatem, quid hoc ad probandum, quòd Deus ſit forma informans, vita omnium, vel quod ſit præſens rebus omnibus? abutitur etiam loco Io. 1. *Verbum caro factum eſt*, ſiue *verbum eſt incarnatum, ergo*, inquit, *diuinitus ſe miſcet cum compoſito carneo*, quaſi verò eodem modo verbum vniatur cum omnibus aliis rebus, quo vnitur cum vnica humanitate Chriſti.

Sed dices ſaltem hinc habetur verbum fungi munere cauſæ formalis, & pluries poſſe fungi, & eſſe formam informantem alicuius. Reſpondeo neque hoc haberi: quia vt dictum eſt, forma dicit ordinem eſſentialem ad materiam, eſt pars incompleta & perfectibilis ex conſortio alterius extremi, & facit vnum in genere naturæ cum comparte, at nihil horum in verbum cadit, ſed tantùm terminat per ſuam Hypoſtaſim naturam humanam, vnde reſultat vnica perſona in duabus naturis.

De morali Dei perfectione, ſiue ſanctitate. §. 16.

NIhil amplius vrgebo contra impietatem, blaſphemiam & ſacrilegium Fludi quòd Deus ſit auctor peccati, non rationes,

non auctoritatem sacrarum paginarum non testimonia Patrum, non decreta Pontificum, non consensum populorum, quia hîc Flud se retractat, duntaxat retundam quæ proponit in contrarium.

Flud canit palinodiam, sed ore tenus.

§. 17.

TAnta est blasphemia superior, vt eam Fludani Fluctus, quam ante euomuerant, nunc resorbeant; quia lux eam ferre non potest, quòd autem sit pura & mera palinodia patet si consulantur loca quæ attuli dum de eius maculis, in quibus assertoriè loquitur, & non dicit vt hic pag. 17. se non positiue scribere, sed disputandi gratiâ, quia eum nondum pupugerant aduersarij, nec aurem vellicauerant. adde quod pag. 65. dicit in tractatu de morborum mysterio, quem non memini me legisse, istamquæstionem proponi & affirmatiuè tractari quòd Deus sit solus & vnicus actor & operator, si affirmat solum Deum & nullum alium esse actorem & operatorem, igitur est operator operum malorum, nam peccatum, vt alibi ait, est de numero operationum, & actionum, non igitur disputandi gratiâ.

Sed vtinam seriò recantasset, blasphemiæ huius radices adhuc in corde eius non remanerent, nec dubius hæreret, & consequenter

hac in parte non esset hæreticus, dubius enim in fide, vt aiunt Theologi, est hæreticus, quòd autem dubitet fatetur, dicens *dubium haud exiguum circa nonnullos textus sacri locos mentem meam subit, quod si Lanouius cum sociis suis verè & non apparenter duntaxat soluere, pectorique meo prorsus eximere poterit, ingentes profectò ei debebo gratias.* Hæc ficta docilitate Flud opiniaster, qui expositionem Scripturæ expectat ab aduersariis, quam potuit discere ex hæreseomachis, qui fautores vel auctores huius blasphemiæ impugnarunt, vt Simonem Magnum, de quo Vincentius Lirin. c. 34. Florinum de quo Eusebius 5. hist. c. 19. Manichæos, &c. maximè cùm hæc controuersia hoc sæculo & præterito fuerit agitata inter Caluinistas & Catholicos: sed mirum est, quòd Scripturæ diuinæ intelligentia ei non fuerit communicata in puncto quod magis pertinet ad pietatem, cultum Dei, & ad vitam rectè instituendam, si enim quis sibi persuasum habeat Deũ esse auctorem scelerum, & se esse tantùm organum in patrandis criminibus, cur erit sollicitus de eis vitandis? voluntati enim Dei sicut & potestati quis resistit? non timebit supplicium æternum, quia ei iusta & legitima causa suppetet refundẽdi suum peccatum in Deum, mirum inquam cur clauis non fuerit data Fludo, & intelligentia reuelata, qui est de numero illuminatorum, qui pag. 48. ait, *Iure per Deum immortalem tot & tanta à Deo, & theodidactis in mysteriis Dei atque naturæ mihi concre-*

dita acrenelata esse, vt nec omnes Gassendi thesauri, nec Mersenni secreta, nec mirabilia Cabalæ La-*nouianæ vel cum minima eorum scintilla, aut atomo comparari queant* En nouus Paulus raptus vsque ad tertium cælum, non grauabor autem ei eripere glaucauma, ni renuat.

Distinctio mali in malum pœnæ & malum culpæ est antiqua & solida, non noua & friuola. §. 18.

DIcebam in Effigie ad enodanda Scripturæ loca vtilem esse & necessariam distinctionem mali culpæ & mali pœnæ, quam hic vt & alibi dicit per contemptum esse Scholarium, & esse admodum friuolam & inanem. Sed audiat non esse nouam & à Scholasticis inuẽtam, sed esse perantiquam & Sanctorum Patrum; & consequenter non friuolam & inanem. Incipio autem à S. Damasceno, qui Scholasticis superior ætate fuit & sic loquitur, l. 4. de fide orthod. c. 20. *Cùm dicit Scriptura Deum creare mala, & non esse malum in ciuitate quod non facit* Dominus, *non malorum causam Deum esse ostendit: Sed anceps est nomen mali duo significans, nam quandoque naturâ malum ostendit, quod quidem virtuti contrarium est, & diuinæ voluntati: quandoque quod ad sensum nostrum malum & laboriosum vt tribulationes & inductiones: Hæ enim existimatione mala sunt, cùm dolorosæ existant, re autem verâ bona, nam conuersionis*

& salutis intelligentibus causa sunt, & has per Deũ fieri dicit Scriptura. D. August. 1. de lib. arb. c. 1. ait, *Duobus modis appellare solemus malum, vno cùm malè fecisse quenquam dicimus: alio cùm mali aliquid esse perpessum* : & addit, *primi generis malorum nullo modo, secundi autem auctor est Deus* D. Hieron. in cap. 45. Isaiæ ad id, ego Dominus & non est alter formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, *Confundatur* inquit *hæresis, quæ malorum conditorem arbitratur Deum, cum hic malum non contrarium bono, sed pro afflictione ponatur & bello, secundum illud, quod in Euangelio scriptum est, sufficit diei malitia sua*. Iterum explicat eodem modo allatum Prophetæ testimonium scribens in cap. 3. Lament. Ieremiæ, vbi ait quod Deus tropicè dicitur facere mala, sed his omnibus antiquior Tertullianus l. 2. contra Marcionem cap. 14. locum prædictum tangens, *Condens mala sed & pacem faciens vt etiam & hic respondeam hæreticis, ecce enim inquiunt ipse se conditorem profitetur malorum dicens ego sum qui condo mala, amplexi enim vocabuli communionem duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur & delicta & supplicia, passim volunt eum conditorem intelligi malorum, vt & malitia iniustè auctor renuntietur. Nos autem adhibita distinctione vtriusque formæ, separatis malis delicti & malis supplicij, malis culpæ & malis pœnæ, suum cuique parti definimus auctorem, malorum quidem peccati & culpæ diabolum: malorum verò supplicij & pœnæ* Deum *crea-*

torem. Et cap. 24. explicans id Ieremiæ, Ecce ego emitto in vos mala, *Non peccatoria*, inquit, *sed vltoria*, &c. Et D Irenæus l. 4. c. 77. vbi videndus Feuardentius, sed dicet Flud, adhuc iniquus est Deus qui punit absque præuia culpa; Sic Iobum innocentem percussit ob solam tentandi rationem, sic propter peccatum Dauidis multa millia hominum innocentum occidit, & creauit diabolum solum ad perdendum, vt dicitur Isaiæ 54 16. respondeo absolutè Deum cùm sit Dominus vitæ & mortis posse innocentem spoliare vita. Specialiter ad id quod dicitur de Iobo, dico Deum non, permisisse diabolo affligere Iobum ob puram rationem tentandi & inducendi in impatientiam, sed vt eius virtus illustrior fieret & afflictio esset occasio majoris meriti. Deinde pœna illa non erat purè vindicatiua, quæ supponit reatum proprium personæ quæ plectitur, sed erat probatiua, supponens reatum naturæ, nam ratione peccati protoplasti homo est obnoxius tentationi & afflictionibus: accedat quod ipse Iob non erat ita iustus, vt ipsemet agnoscit, quin potuerit mereri illam calamitatem propter peccata venialia, & proinde Deus Iobum reprehendit qui conquerebaretur. Secùndo ad id de pœna peccati Dauidici respondeo populum maiori ex parte non fuisse innocẽtem & fuisse punitum occasione peccati Regis, quod impleuit mensuram peccatorum communitatis. Tertiò si illud quod dicitur de fabro apud Isaiam intelligatur de diabolo

diabolo dicendum particulam *ad* non significare causam sed euentum, nec Deus ideò creauit diabolum vt perderet, sed vt gloriam assequeretur, à qua per propriam culpam excidit, ad humanam tamen vtilitatem diaboli malitiá vtitur, sicut & medicos solere aiunt qui ad morborum curationem viperis, serpentibusque nonnunquam vtuntur, vt præclarè dicit Theodoretus 3. Therapenticæ versus finem.

Optima item distinctio in Dei placitum & Dei permissionem.

§. 19.

DO Fludo non omnia loca Scripturæ quæ videntur Deo attribuere malum, posse explicari per distinctionem mali pœnæ & mali culpæ, quare debet aduocari alia, cuius non meminit Fludus, nempe *facere* aliquando sumitur positiuè, aliquando permissimè non impediendo, quæ distinctio sumitur quoque ex sanctis Patribus, nam Tertullianus l. contra Hermogenem cap. 9. ait, *Iam ergo malum ab ipso qui est mali si non auctor, quia non effector; certè permissor, quia dominatur.* & l. de orat. c. 8. explicans id quod objicit Flud ex oratione Dominica, *ne nos inducas in tentationem*, ait ne patiaris induci ab eo vtique qui tentat. cæterum absit vt Dominus tentare videatur quasi aut ignoret fidem cuiusquam, aut deiicere sit

consentiens. & certè vt dicitur Iacobi 1. Deus neminem tentat, nempe tentatione inductiua ad malum culpæ. D. Chrysostomus explicans id ad hom. 11. 8. *Dedit Deus illis spiritum compunctionis, oculos vt non videant*, &c. ait hom. 19. *Illud verò quod dicit*, dedit eis, *non operationem quandam Dei, sed concessionem hoc loco significare putabis.* Agnoscit præterea hanc distinctionem S. Augustinus in Enchirid. c. 96. & 1. de Trinit. cap. 12. & apud Prosperum Sententia 58. vbi dicitur quod nihil fit, quod non de summi imperatoris aula aut iubeatur, aut permittatur. Quare Palladius in hist. Lausiaca sect. 115. ait quòd quæcunque fiunt, in duo diuiduntur, in Dei placitum, & Dei permissionem. Vnde illud ad Rom. 11. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur*, si non placeat expositio eorũ qui ita explicant *conclusit in incredulitate*, id est conuicit infidelitatis, sic intelligendum est, permisit labi in infidelitatem & in ea languere, vt misericordia eius illustrior appareret.

Quomodo dicatur Deus excæcare & indurare? §. 20.

LIcet hoc tetigerim cùm de maculis Fludi, tamen quia in hoc magnam vim facit Flud; *Quid obsecro*, inquit, *dicet* aduersarius, *de Pharaone cuius cor fessus est Iehoua se obdurasse, vt ei redderetur inobediens, & obstinatum?* Hæc ille postquam pag. 17. sibi obiecit aduersarij res-

ponſionem & pluries verſauit, & miſcuit auctoritates, quæ loquuntur de malo pœnæ, cum aliis, quæ ſunt de malo culpæ, vbi aduerſarij reſponſionem præoccupans vel fingens, quòd teſtimonia debeāt intelligi de malo pœnæ, relabitur in vnum, quod eſt de malo pœnæ Eccleſ. 7. 14. vbi agitur de incorrigibilitate peccatoris, quæ eſt pœna annexa obdurationi, & de diebus fauſtis, & infauſtis.

Ad rem dico quod Deus non eſt cauſa poſitiua & directa excæcationis & indurationis, ſed vel negatiua ſubtrahendo lumén maius, & auxilium abundantius, quo conuerteretur peccator, ſi daretur. Iuxta quod S. Auguſtinus ep. 105. ait, *Non obdurat Deus impartiēdo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiam.* Vel permiſſiua quatenus permittit diabolo vt tentet, ex quo licet liberè, impingit homo: vel occaſionalis quatenus peruerſi ex rebus quas conceſſit Deus, ſumunt occaſionem errandi, & perſeuerandi in peccatis. Sic aliqui excæcantur ex fœlici ſucceſſu rerum temporalium, & ex Dei patientia, ſecundùm quam, vt dicitur ad Rom. 11. 22. ſuſtinet vaſa iræ, Phærao ſumpſit occaſionem ſe obfirmandi, & obturandi aures voci Dei, qui nolebat eum eſſe inobedientem ſed obedientem, quia pluries ad eum miſit vt remitteret populum, & Pharao ex Dei patientia ſe obdurauit cùm alius fuiſſet emollitus vt notat D. Hieronimus in reſponſ. ad 10. quæſt. ad Hedibiam, vbi affert

exemplum solis qui ceram liquefacit, & lutum indurat.

Diabolus verò est causa directa indurationis excitando ad malum, homo quoque seipsum indurat consentiendo, & dum auxilium diuinum respuit, lumini est rebellis, oculos claudit, aures obstruit, cor obdurat, intelligentia se priuat, & eius meus praua est cæcitatis origo, vt ait D. Chrysost. hom. 46. in Matth. & 48. in 12. Ioann. ex quo patet quam perperam dixerit Fludus Deum in induratione Pharaonis habuisse pro scopo eius inobedientiam, patet etiam quomodo sit intelligendus locus ille Ioan 12 *Cùm autem tanta signa fecisset coràm eis, non credebant in eum vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur* (c. 53.) *quem dixit domine quis credidit auditui nostro & brachium Domini cuireuelatum est, propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias* (c. 6.) *excæcauit oculos eorum, & induravit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.* Vbi præter ea quæ dicta sunt de modo indurandi, tria aduertenda sunt. 1. hoc loco hæreticos abusos esse, qui vt notat S. Athanasius tract. in Passionem Domini Iudæos à culpa immunes fuisse dicebant, quia ita euenire oportebat, eo quod prædictum erat, & benè ostendit causam incredulitatis eorum nõ esse tribuendam sermoni Prophetæ, sed eorum actioni & voluntati, idem docet S. Chrysost. hom. 67. in Ioan. & 46. in Math. & 19. in 11. ad Rom. Secundum verba illa, *non poterant,*

non significat absolutam impossibilitatem, nam cùm multis modis impossibile quid dicatur, vt tradit S. Greg. Theologus Orat. 36. hîc significat minùs æquum & rationi consentaneum, sic non erat æquum, vt Deus gratiam vberiorem daret Iudæis, qui ea abutebantur, vel quia eorum voluntas ab ea abhorrebat, non poterant credere. 3. illa particula *vt non videant*, nō causam sed euentū denotat. sic S. Chrysost. Hom 67. Ioan. 39. exponens quod affert S. Ioannes ex Isaia & D. Aug. tract. 53. in Ioan.

Reliqua Scripturæ loca praue detorta.
§. 21.

PRoducit Flud. vlteriùs illud Apostoli ad Rom. 9. *Cùm nondum nati essent (filij Rebeccæ) Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Sed quid hoc ad probandum quòd Deus sit auctor peccati? an ex eo quòd Deus qui nihil odit eorum quæ fecit, sed tantùm peccatum, quod non fecit, gratis odio habuit Esaü? an nescit Fludus quòd Deus odio non habet personam, sed vitium, & quod in Scriptura S. aliquando odisse idem est ac minùs diligere, an quia non prædestinauit Esaü, sicut Iacob, vel non tot illi contulit beneficia siue temporalia siue spiritualia, quot isti? Itaque si ad mysterium prædestinationis & reprobationis respiciamus, sensus est Deum elegisse Iacob, & non

electionis vel etiam odij causa sufficiens erat massa perditionis in qua vterque inuolutus erat, & è qua eripere voluit Esaü, sicut eripuit Iacob: quæ expositio est textui maximè conformis vt constat ex sequentibus vbi dicitur quod est liberum Deo misereri, vel non misereri, *Cuius vult*, inquit Apostolus, *miseretur, & quem vult indurat.* Id est non miseretur, vt dicebam cum D. Augustino *supra* vt sit Antithesis.

Secundò Aduocat Flud in subsidium præcedentium id quod scribitur ad Rom. 11. 32. conclusit Deus omnia in incredulitate vt omnium misereatur. Iam responsum est suprà Deum non procurasse positiuè infidelitatem nec in mundum introduxisse, vt blasphemat Flud. licet permiserit, solùm glossa quam assuit, est examinanda. *At nè quis replicaret quod si hæc ita se habent, quid de cæteris Scripturæ locis est censendum, cui huic opinioni repugnare videntur? Apostolus talem à mundanis expectans replicationem, illam videtur repellere & tollere per istum versum immediatè sequentem. O altitudo diuitiarum, &c. quibus arguere videtur, quòd quicquid etiam à satana tanquam ministro Dei agitur, ex ipso Deo, & per ipsum Deum, & in ipso efficiatur: nam satan ipse omne factum suum attribuebat Deo dicens extende manum tuam aduersus Iobum, & maledicet tibi, quo sermone agnoscit seipsum esse non nisi manum Dei seu organum, in quo mouetur Deus ad voluntatem suam exsequendam.*

O Fludi linguam maledictam & maledi-

cam, quæ huiusmodi spurcitiis nostras aures imples! In primis aberras Flude toto cœlo, nec capis intentionem & sensum Apostoli, qui toto illo capite sicut & nono, agit de electione gratuita populi Gentilis præ populo Iudaico & imæquali gratiarum distributione, neque respiciebat ad loca Scripturæ, quibus scatet, quæ dicunt Deum esse mundum ab iniquitate & peccato, quæ nunquam tu neque similes tui explicabitis in fauorem blasphemiæ. Apostolo itaque imponis quem cogeres si posses seruire tuæ impietati, in cuius mentem nunquam venit, quod ei affingis, non enim exclamat & in admirationem rapitur quomodo Deus sit causa peccati, cum diuinæ bonitati & sanctitati sæpè attestetur, sed admiratur cur Deus elegerit, & reprobauerit Iudæos, & ait esse recurrendum in simili quæstione ad profunditatem sapientiæ & scientiæ Dei, & secretorum inscrutabilitatem, vndè prædictam exclamationem passim vsurpant sancti Patres & Doctores in negotio prædestinationis.

Perperam Flud & extrà propositum ait Flud, quòd Apostolus arguere videtur, quòd quicquid fit à satana, fit à Deo, nam neque ex præcedentibus neque ex his verbis, *ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia*: per *omnia*, enim comprehendit res subsistentes positiuas, quæ egent causa efficiente, non autem peccata, quæ quatenus talia non habent causam efficientem, sed deficientem, vt infra di-

eam, & vult dicere Apostolus, quòd ratio cur Deus Gentiles in locum Iudæorum assumpserit, non est petenda ex parte illorum qui nihil potuerunt conferre, cùm à Deo sint omnia. Quod addit diabolum factum suum attribuere Deo falsum est & si faceret, ei fidem non adhiberemus, quia mendax est, falsum item quod diabolus sit manus Dei, quasi verò Deus non habeat aliam manum, potestas enim Dei est manus Dei, alias filius æternus citur metaphoricè manus Patris, sicut & Spiritus S. dicitur digitus vt explicant Doctores ad illud exodi 8. 19. *digitus Dei est hic.* Falsum item quòd diabolus sit organum Dei eo modo, quo vult Fluditavt Deus latens sub effigie diaboli nihil operantis affligat, tentet, malum operetur, esto Deus permittat, & eius prauam voluntatem in bonum serui sui conuertat, quomodò enim diceretur non volens iniquitatem si operando malum, suam exsequitur voluntatem? & quis est ille qui vellet in se iactari maledicta, sensus igitur petitionis diaboli est, laxa mihi habenas per manum tuam, qua me contines, ne tantùm noceam, quantũ cupio & possum, & videbis quòd Iobus, in impatientiæ verba prorumpet, & maladicet. Deus autem qui Iobi virtutem nouerat, laxauit, & tamen deceptus est diabolus, & sua spe excidit.

Fœnea

Fœnca & straminea substructio impietatis argumentatio Fludi.

§. 22.

HActenus in gratiam Fludi qui cupit instrui vel potiùs lectorum, ne decipiantur, vel existiment nos succumbere aduersariis? nam de Sanitate Fludi non admodum spero, cùm iamdiu imhibitam habeat mentem praua opinione de Deo, tum propter dicta loca, tum propter nescio quas ratiunculas, quæ apud ipsum habent vim demonstrationis conuincentis.

Ad id quod ait sibi ab aduersario responsum, scilicet Deum non esse auctorem peccati, sed diabolum, replicat, quòd Deus nihilominus est causa, quia creauit diabolum: cuius argumentum, vt speciem veri habeat, sic potest formari: quod est causa causæ, est causa causati, at Deus est causa diaboli qui est causa peccati, ergo Deus est causa peccati. Respondeo valere axioma, quando causa secunda, quæ concurrit cum prima & vniuersali, nempe Deo, operatur necessariò, non autem si sit libera, & capax defectus, cùm peccatum quatenus tale, non requirat causam efficientem, sed deficientem: & voluntas creata non facit peccatum quatenus ipsa est à Deo, sed prout est de nihilo, & exorbitat & deflectit à recto ordine, nec propterea libertas est mala, licet

quis ea abutatur, ſed potiùs laudandus Deus qui eam dedit ad benè agendum vt monet Clemens Alex. 3. Strom. ante medium: breuiùs, verum eſſet ſi diabolus eſſet ex natura ſua malus, vt voluerunt Manichæi, vel ſi ad hunc finem illum Deus creaſſet vt malè operaretur, vel alios ad malum inſtigaret.

Hanc reſponſionem præuiderat Flud, cui replicat, *Quaſi verò omnia futura in arca ſua praſcientia atque prouidentia non eſſent reſeruata aut aliqua ex creatura actionibus eum latere poſſet: ex quo videtur quod Deus creauit miniſtrum ſuum priuatiuum ad diſſeminandam infidelitatem.* Quid vult dicere Flud, vnum ex iſtis vt puto: aut ideo Deum eſſe cauſam peccati diaboli, quia præuidit & præſciuit eum futurum malum, & peccaturum, at præſcientia non eſt cauſa peccati, non magis quàm Prophetia, quæ eſt illius radius, nec imponit neceſſitatem: nec ideo quis peccat quia Deus videt peccare; aut quòd Deus peccauit, quia illum creauit quem ſciebat peccaturum, & ideo non debuit creare; aut quia ſciens creauit, non ad alium finem creauit, quàm vt eſſet malus, & infidelitatis & aliorum malorum auctor, quaſi verò Deo non ſuppeteret aliud motiuum creandi & quidem honeſtum: aut quia non impediuit cùm poſſet.

Flud argumentorum veterum hæreticorum ossa obrodit. §.23.

H*Æc sunt argumentationum ossa, quæ obroditis*, inquit, Tertullianus l.2.contra Marcionem cap 5, vbi Marcion qui credebat duos esse Deos vnum bonum, & alium malum, in hoc religiosior, quàm Fludus, non audens bono Deo attribuere malum, sed potiùs recurrens ad alium Deum, simile præcedenti argumentum profert. Si *Deus*, inquit, *bonus & præscius futuri, & auertendi mali potens, cur hominem & quidem & imaginem & similitudinem suam, immò & substantiam suam per anima scilicet censum passus est labi de obsequio legis in mortem circumuentum à diabolo? Si enim bonus, si euenire tale quid nollet; & præscius, qui euenturum non ignoraret; & potens qui depellere valeret, nullo modo euenisset, quod sub his tribus conditionibus diuinæ maiestatis euenire non posset: quòd si euenit, absolutum est è contrario Deum neque bonum credendum, neque præscium, neque potentem: si quidem in quantum nihil tale euenisset, si talis Deus id est bonus, & præscius, & potens: in tantum ideo euenit, quia non talis Deus.*

Respondet Tertullianus admissis tribus illis atrributis, lapsum tamen hominis euenisse ex eius libero arbitrio, nec potuisse per Deum euenire? sed imputandum homini & non Deo, qui ad rectè viuendum illum crearat.

Vrget Marcion non debuisse instrui libero arbitrio, si libertas exitiosa futura erat. Respondet Tertullianus debuisse, cùm eximium donum sit liberum arbitrium, & in eo diuinæ bonitatis imago reluceat: tum quia alioqui, nec mali, nec boni merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.

Instat secundò, cùm non obstante libero arbitrio potuerit Deus impedire, ne homo peccaret, cur permisit peccare? Respondet Tertullianus cap. 7. Deum non fecisse, ne rescinderet libertatem, & se retractaret parum constans & fidelis, & patiens: scio absolutè loquendo posse Deum salua libertate peccatum impedire, sed hoc non esset ita consentaneum suaui prouidentiæ Dei, qui vt ait sapiens cap. 12. cum magna differentia disponit nos.

Instat tertiò cùm anima sit imago Dei, in exemplar culpa debet refundi. Respondet Tertullianus quòd licet in pluribus imago imitetur prototypum, non tamen in hoc quod esse defectus incapacem: postea addit de diabolo, à Deo quidem fuisse creatum bonum, & Angelum: sed sua libertate & malitia seipsum transformasse in diabolum: addo quod vanum est quærere cur Deus crearit eos quos sciebat esse peccaturos, quasi verò Deus priùs secundùm nostrum modum concipiendi, non determinarit creare, quam peccatum præuiderit. Vellesne Deum vinci à malitia, aut præscito peccato alicuius abrumpere

decretum, quod fecit de eo creando: attendat denique quod ait D. August. in Enchiridio: neque Deus omnipotens, qui rerum est summa potestas, cùm summè bonus sit, vllo modo fineret mali aliquid esse in suo opere, nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus vt benè faceret etiam de malo: & alibi ait, maluit Deus de malis facere bona, quàm nulla mala esse permittere.

Vltima machina Gigantis bellum cœlo inferentis deijcitur. §. 24.

VLtima machina eius qui ponit os suum in cœlum, talis est pag. 18. *Si actus diaboli sit in diabolo per se & originaliter & à Deo alienus quatenus est malus, Deo coæternum faceremus, vt pote qui si à Deo ortum suum non duceret, necesse haberet esse principium Deo coæternum bono Dei actui contrarium, quod esset in aliquo impietas longè maior, asseuerare, quàm in Fludo affirmare materiam non esse quid creatum.*

Sed sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Supponimus enim in peccato duo esse scilicet materiale, & formale; siue vt placet alijs, positiuum & priuatiuum; siue actum, & talis actus deformitatem, & rectitudinis carentiam, & dicimus actum malum diaboli quatenus est positiuus & secundùm materiale non ita esse à diabolo, quin etiam sit à Deo simul concurrente & consequenter non dici-

mus actum diaboli esse à solo diabolo : sicut enim natura dæmonis dependet à Deo : ita & eius operatio secundùm entitatem positiuam : nihilominus tamen negamus actum quatenus malus & defectuosus, & secundùm illam reduplicationem esse à Deo qui non potest deficere à recta regula benèoperandi: hoc enim dicere est grauissima impietas, & talis qua maior dari non potest, & satius esset negare Deum : etenim non tanta iroigaretur iniuria : sed dicimus actum præcisè secundùm malitiam esse à solo dæmone, qui est capax defectus. Etenim actus est difformis regulæ, & defectuosus, non postulat causam efficientem, sed deficientem vt bene aduertit D. Augustinus 12. de Ciuit. cap. 7. *Nemo ergo*, inquit, *quærat causam malæ voluntatis : non enim est efficiens, sed deficiens : quia nec illa effectio est sed defectio : deficere namque ab eo, quod summè est ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam* Quapropter dicit idem l. de spiritu & lit. cap. 31. quòd nusquam in scripturis legitur, quod non est voluntas nisi à Deo : & 2. de lib. arb. cap. 20. *Motus ergo* ille *auersionis quod fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est : inde quò pertineat & ad Deum non pertinere ne dubites:* & lib. de perfectione iustitiæ cap. 2. dat exemplum claudicationis, quæ non est referenda in Deum, neque vim motricem, sed tibiam malè affectam: vides Flude quòd pro actu malo eliciendo, quatenus malus est non sit opus

vllo principio effectiuo, sed tantùm defectiuo, & multo minùs tali, quod sit Deo coæternum, & ideo inanes & similes aranearum telis consequentiæ tuæ.

Turris babylonicæ culmen conclusio Fludi. §. 25.

QVi Deum esse auctorem peccati dicunt conantur Deum detrudere è throno sanctitatis & iustitiæ & sicut Gigantes & filij confusionis erigunt turrim Babel: quæ enim maior confusio, quàm confundere cœlum cum cœno, lucem cum tenebris, scientiam cũ ignorantia, potentiam cum debilitate, bonitatem cum malitia, sanitatem cum morbo, iustitiam cum iniquitate, perfectionem cum defectu, puritatem cum spurcitia, Deum cum diabolo: tali autem turri fastigium imponit concludens. *Quòd non videatur esse impietas in quopiam adeò grauis omnia Deo* (tam bona quàm mala culpæ de quibus est quæstio) *adscribere ac est illa, nimirum ea falsò attribuere creaturis, quæ radicaliter Deo sunt propria, & inter cætera actum aliquem peculiarem in diabolo esse existimare, qui non est originaliter à Deo, & consequenter immediatè.*

Sed certè apud iudicem benè affectum non dico Christianum sed ethnicum magis impius reputaretur ille, qui diceret Deum esse auctorem mali, & consequenter esse malum, & ma-

iorem iniuriam inferret ei vt pote blasphemus in primo capite & supremo gradu, quàm ille qui concursui Dei, vel etiam potentiæ diuinæ subtraheret aliquem actum. Sed neque hoc faciunt Catholici, dum dicunt peccati actum, vt est peccaminosus, non esse à Deo: quam esse eorum mentem non ignoras Flude, dum initio huius controuersiæ fictè errorem toti mundo intolerabilem ne malè audias, abiuras dicens te non tantum consentire cum Theologis Scholasticis peccatum non esse à Deo, sed ab obliquitate creaturæ, & tamen vt est actus & motus esse à Deo: & si diceremus Deum remotè duntaxat concurrere cum creaturis eas conseruando, immò si diceremus Deum tantùm creasse mundum, & curam se propagandi & agendi demandatam esse creaturæ. non propterea creatura esset æterna vel omnipotens, vel à se, nec posset de aliquo quasi proprio gloriari, sed semper posset ei obijci id quod ait Apostolus 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Sed neque hoc dicimus: sed dicimus Deum non tantùm originaliter, quatenus est origo & causa naturæ angelicæ, vel humanæ: sed etiam immediatè concurrere ad materiale peccati, ad formale autem nullo modo: & consequenter negamus Deum esse causam peccati, vt peccatum est: nam vt ait D. Augustinus l. de duabus animabus contra Manichæos c. 6. *Vitiorum auctorem Deum nemo nisi sacrilegus diceret.*

De Angeli constitutione. §.26.

PAuca hîc dicenda quia multa in effigie, tum quia pauca addit Flud, qui relegens, quæ ante dixerat de Angeli corporatura D. Dionysium & Damascenum, quos habuit aduersarios, hîc pag. 39. habet patronos, & p. 19 cùm Lanouius obiecisset Fludum negare substantias separatas, nempe Angelos, qui tales dicuntur quia sunt immunes à materia, respondet ratione sui externi esse separatas, ratione verò interni scilicet Deitatis haudquaquam, per quod vult intelligi Angelos non dici substantias separatas, quia carent materia, vt communiter intelligitur, sed quia sunt distinctæ à Deo ratione sui externi nempe corporis aërei, vel etiam ab alijs rebus; non autem ratione interni inhabitantis nempe Deitatis: quem modum loquendi apud neminem alium vidi, quàm Georgium Venetum in opere illo mendoso, quod continet problemata tom. 6. sect. 5. initio: ex quo auctore non parum profecit Flud vt ex loco Veneti allegato patet & aliis: & ne existimes eum esse inuentorem illius systematis, in quo per tres enneades numerorum digerit res huius mundi secundum rationem superioris, & inferioris, simile habes in Isagoge in Harmoniam mundi eiusdem Veneti, quam præfixit Nicolaus Faber.

Addit Flud pag. 58. & 72. Angelos prauos ratione lapſus eorum fuiſſe quoad externum, ſiue corpus in naturam aëris groſſioris commutatos, quo magis cruciatui, & tormentis igneis redderentur obnoxij, docet ex D. Auguſtino, vbinam hoc dixerit, locum non indicat.

Duo hîc in Fludo improbanda.

§. 27.

PRimò quod pertinet ad Angeli corporeitatem, iam reiecta eſt in ſecundo ordine næuorum: & quanquam non ignorem multos Patres dixiſſe eſſe Angelos corporeos: tamen quòd Angelus circunſcripta Diuinitate in eo inhabitante ſit tantùm corpus aëreum, non exiſtimo vllum ita ſenſiſſe: ſed poſita illa opinione adhuc præter Deum, debet aſſignari aliqua pars quæ ſe habeat vt anima & interna forma quæ ſit principium vitale motus & intellectionis: non enim poteſt Deus per ſeipſum in genere cauſæ formalis obire hoc munus, vt oſtenſum eſt, negando eſſe formam informantem: tum quia ſi mente præſcindamus Deum ab Angeli propria natura, vt poſſumus, cùm ſit realiſſimè diſtinctus tanquam perſona increata à creata, quid erit Angelus niſi vilis creatura & minor quàm homo; cùm tamen ſit nobiliſſima, & in quo præcellet? Si dicas ratione inhabitantis Deitatis, contra,

cùm Deus sit in omnibus rebus per essentiam, presentiã & potentiã, & nõ sit spiritualiter in creaturis intellectualibus nisi ratione effectuũ gratuitorũ ordinis supernaturalis, quos producit in eis, quomodo eorum est capax Angelus, si nihil sit nisi aer ? Sic quomodò Angelus erit beatus nisi habeat proprium intellectum, quo cognoscat Deum sicuti est, & voluntatem qua amet ? & satius esset dare illi corpus humanum organicum ratione cuius per sensus posset rerum notitias haurire, & in hac opinione dæmon qui est donis gratuitis spoliatus, in quo tamen naturalia, vt iam dicam, integra permanserunt, nihil erit quàm crassus aër, quomodo ergo est capax exercere operationes naturales vitales ?

Secundùm.

SEcundò si Flud dixisset dæmones solere assumere corpora ex aëre crassiori, fortè ei fidem adhibuissemus : at probare non possumus quod externum Angeli (quod in opinione Fludi est tota & propria natura illius, cùm Deitas non possit esse illius pars, nec cum ea venire in compositionem) ratione lapsus sit commutatum in aliud : alioqui quomodo verificaretur doctrina Theologica, quæ est, in dæmone naturalia mansisse integra : quæ habet suffragium à sanctis Patribus vt D. Dionysio 4. de diu. nom. & ait Isidorus Hispalensis

lib. 1. de summo bono cap. 10. *Praeuaricatores Angeli etiam sanctitate amissa non amiserunt viuacem creaturæ Angelicæ sensum*: & D. Bernardus Epist. 7. versus finem ait reprobos Spiritus destitutos esse participatione gratiæ spiritalis, non tamen v uacitate industriæ naturalis, & Alcimus auitus l. 2. in Genesim carm. de peccato orig. his versibus docet naturalem perspicaciam intelligendi remansisse in dæmone & vim delegendi occulta.

Sed quod viuaces pertendit in abdita sensus,
Quodque futura videt, rerumque arcana resignat,
Angelici feruens superest natura vigoris.

Quod non fieret si eius natiuum corpus esset mutatum in crassius, nam inde impediretur cognitio, sicut corporis humani crassitas animam impedit ne ita benè res intelligat.

quoniam caliginis atræ
Obsistunt nebulæ, & mortalia lumina nobis
Et pupæ tenues: caro circum atque ossa resistunt.

vt ait Orpheus apud Theodoretum 2. contra Græcos.

Accedat ratio, quia sicut per peccatum Adami substantia animæ non est passa detrimentum, nec in ea imago Dei est oblitterata, vt ostendunt Catholici contra hæreticos & præsertim contra Matthiam Illyricum qui fingit dum homo peccat, physicam transmutationem de vna forma substantiali in aliam: ita dum lapsus est Angelus, nulla facta est commutatio substantialis, & certè cùm peccatum

sit quid morale, non habet vim physicè transformandi vnum in aliud.

Ratio aduersarij infringitur, & Sanctus Augustinus ei non fauet.

§. 29.

SEd dicet Flud Deum in pœnam peccati fecisse illam transmutationem. Sed cur? vt dæmon esset obnoxius cruciatui per ignem.

Contra, esto corpus sit necessarium, vt quid naturaliter patiatur ab igne: at non vt diuinitùs. Agit autē ignis gehennæ vt Dei instrumentum eleuatum ad agendum suprà vires: alioqui non diceret D. Augustinus 21. de Ciu. cap. 10. *Cur non dicamus quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi?* non esset autem mirum, si dæmon esset præditus corpore aërio grossiori, quod pateretur, tum quia dicat nobis cur ad cruciatum non sufficiebat corpus aëreum, quod ante lapsum habebat? sed neque dæmon ratione corporis potest cruciari, nisi habeat animam, quæ propter vnionem reddit corpus sensus capax: quod si habet animam & corpus, vbi est differentia essentialis inter eum & hominem? quod si non habet aliam animam quàm Deum, contra, Deus non potest habere sympathiam cum corpore, nec ei vniri vera & physica vnione, quod est

necessarium vt corpus sentiat: tum quia sicut ex redundantia sentit anima, dú corpus affligitur: ita Deus sentiret, & esset passioni obnoxius, quod est impium dicere.

Quod spectat ad D. Augustinum, dubius hæsit quantum ad Angeli corporeitatem: & nonne audisti iam ipsum docere posse spiritus incorporeos ab igne pati? & nusquam legi ipsum dixisse, corpus dæmonis fuisse propter lapsum commutatum: debuerat autem Flud citare locum, vbi hoc dicit, vt ei fidem adhiberemus, quod non possumus facere donec constet: maximè cùm habeamus alibi eius testimonium in contrarium nam 11 de Ciu. cap. 23. impugnans Origenem, qui voluit spiritus præuaricatores in pœnam peccati detrusos fuisse in corpus quasi in carcerem, & alligatos corporibus crassioribus, vel minùs crassis pro grauitate culpæ, arguit ad hominem dicendo dæmonem, quia grauiùs deliquit, detrudendum fuisse in corpus terreum potiùs, quàm animam, cùm tamen corpus dæmonis, si aliquod habeat, etiam de mente Origenis, sit aëreũ, vbi nihil dicit de illa commutatione corporis subtilioris in grossius: hoc enim esset accedere ad errorem Origenis, quem hac in parte sequitur Flud, vt visum est in Effigie; hæc sunt verba concepta, D. Augustini. *Videre debuit Origenes & quicumque ita sapiunt, si hac opinio vera esset, mundum ideo factum, vt animæ pro meritis peccatorum suorum tanquam ergastula, quibus pœnaliter infunderentur,*

corpora acciperent superiora & leuiora quæ minus, inferiora verò & grauiora, quæ ampliùs peccauerunt, dæmones quibus deterius nihil est, terrena corpora, quibus inferius & grauius nihil est, potiùs quàm homines etiam malos habere debuisse: nunc verò, vt intelligeremus animarum merita non qualitatibus corporum esse pensanda, aëreum possidet pessimus dæmon: Nempe etiam de mente Origenis.

De animæ origine & regimine. §. 29.

TRactans Fludi Psychologiam plures maculas notaui, quas hîc recognoscit Flud nec de eis erubescit.

Prima Fludi macula.

PRimò dicebam contra Fludum cum Patribus, quibus adde Theodor. 4. Therap. Æneam Gazæum in Theophrasto, animam hominis fieri è nihilo: at Flud hîc pag. 37. ait, *Quomodo, cùm anima sit ipsa vita, ex nihilo fieri dicitur?* Quæ consequentia est ita subtilis, vt non tantùm fugiat sensum, sed etiam intellectum: debuerat Flud ostendere Deum non creasse animam è nihilo, ostendendo rationem vitæ impedire. Sed fortè Flud existimat quòd cùm dicimus animam fieri è nihilo, ita intelligimus, quòd nihilum veniat in compo-

ſitionem animæ & miſceatur cum vita, ſed ſi ita ſentit, fallitur: nam volumus tantùm animam fieri è nihilo tanquam termino, & volumus excludere omne ſemen & omne præuium, ex quo tanquam ſubiecto anima extrahatur: quod eſt propriè creari vt, docet D. Auguſt. ad Oroſium cap. 2.

Secunda Fludi macula.

SEcundò dicebam animam non eſſe creatam ante corpus: Flud tenet contrarium & nominatim probat hîc pag. 72. de anima Adami, nam vt probet animam mundi productam fuiſſe ante firmamenti ſiue ſpiritus ætherei productionem, ita ſyllogizat, *Si anima Adæ creditur primo die creata, multo magis anima mundi*. Probat antecedens ex D. Auguſtino dicente, *Si non inuenitur ſcriptura, quæ contradicat, videtur dicendum animam Adæ principio cum Angelis fuiſſe creatam, & poſtmodum voluntariè ad corpus acceſſiſſe ad miniſtrandum ipſi.* Reſpondeo hîc & alibi pluries Fludi diligentiam deſiderari in citandis auctoribus, debuiſſet locum aſſignare vbi hoc dicat D. Auguſtinus, ſed hoc labore ipſum ſubleuabo. Verum quidem eſt quod D. Auguſtinus 7 de Geneſi ad literam cap. 24. ſuper hac re nihil definierit, tamen 12. de Ciu. cap. 23. ait Deum potiùs ſufflando feciſſe animam, quam iam factam communicaſſe: accedat teſtimoniũ ſcripturæ,

Gen. 2.

Gen. *n. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Quod factum est die sexto & de anima rationali intelligunt alij Patres, Tertullianus lib. de Penit. cap. 3. & lib. de an. cap. 11. & Theodoretus serm. 5. contra Græcos, postquam dixit animam nequaquam in corpus ita demissam, vt tamen antea per se subsisteret, subdit, *Neque verò intelligendum est inspirationem hanc fuisse quandam anhelitus defluxum; qui de ore Dei prodierit (incorporeus enim Deus est, idem simplex, neque compositus) sed ipsam animæ naturam spiritum esse præditum ratione & intellectu.*

Quod addit Flud animam voluntariè ad corpus accessisse, se collidit cum eo quod dicit Sect. 1. microcosmi ipsam contra voluntatem suam migrasse in corpus, incongruè etiam loquitur, cùm potiùs corpus animæ ministret vt pote eius organum, quàm è conuerso.

Tertia.

TErtiò notabam in illo istum næuũ nempe animam esse partem Dei, quod etiam notauit Gassendus qui apud Fludum pag. 66. obiicit Fludo quod dixerit animam non esse ex nihilo, sed Deo vt quodam toto lucidam particulam, cui respondet Fludus subtiliter transeundo de causa materiali ad efficientem probando animam esse ex Deo vt producente, quod est tacitè se retractare & non respondere ad mentem aduersarii, qui objiciebat

Fludo quod faceret Deum partibilem & causam materialem vt faciebant illi quos notat D. Ambrosius 2. de Spiritu sancto cap. 10. consulat lector loca quæ affero ex Fludo in effigie, & videbit vtrum velit tantum animam esse ex Deo vt producente.

Quarta.

QVartò fusè impugnaui Fludum in eo quod triplicem genium assignat homini: hic autem nihil dicit noui nisi quia pag. 19. iterum suum Achyllem opponit, nempe debere tot esse Angelos custodes quot sunt Spiritus vel portiones, quas anima vel homo participat ex triplici cœlo, empyreo, æthereo seu vitali, & elementari, & pag. 20. probat experientia (quasi verò Angelus cadat sub experientiam) istâ, quòd Spiritus in cuiuslibet natiuitate adsit bonus & rationalis, atque item malus, & naturalis seu bestiális, neminem haud ratione destitutum latere potest, cùm quandoque ad bona contemplanda, nonnunquam ad mala excogitanda & peragenda hominem eundem videamus pronum, & quia non sunt extrema absque medio, excogitat intermedium spiritum, in quo natet liberi arbitrij virtus, & qui modo sollicitetur ad bonum ab vno, modò ad malum ab alio: hæc est medulla eorum quæ dixit in Certam. & alibi.

Nunc habeo tantùm dicendum quod hoc dogma nouum est, puto tamen simile quid si bene memini, reperiri apud Agrippam in occulta Philos. secundò loquendo de ingenio & spiritu humano non debet in eodem homine in plures dissecari: nam vnus & idem pro innata libertate modò rationi consentit, modò dissentit; noui quidem præsertim à Platonicis animam diuidi in partem rationalem, irascibilem & concupiscibilem, siue primò in rationalem & rationis expertem: deinde hanc in irascibilem & concupiscibilem: noui etiam diuidi in portionem siue partem superiorem, & inferiorem, siue animum & animam, verùm hæc diuisio non est, nisi per rationem, nam eadem anima indiuisibilis habet vt corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat vt loquitur auctor lib de spiritu & anima cap. 41. & spiritus ille in quo fingitur natare libertas non potest esse medius inter partem superiorem & inferiorem, nam libertas est in supremo apice animæ in quo resident intellectus & voluntas siue appetitus rationalis, sicut appetitus sensualis residet in parte inferiori. Tandem si dantur spiritus Angelici ad regẽdos illos spiritus humanos vt sit correspondentia, sicut humanus medius neque est bonus neque malus: ita dabitur vnus Angelicus qui neque sit bonus neque malus, & ideo diuisio Angeli in bonum & malum non erit adæquata.

De vnico cultu Dei.

HÆc appono per modum coronidis: quia illa opinio, è qua itur in atheismum, de religionũ indifferentia est omnium errorum barathrum: in illa autẽ impugnanda sic procedam, primò ostendam Fludi vacillationem & tandem apertam declarationem, deinde errorem refellam, & postea Fludi diuerticula præcludam.

Fludi vacillatio & ad extremum aperta Manichæismi professio.

§. 30.

FLud lapsum timens timidè procedit in hac parte, ne ab omnibus exsibiletur: in Effigie citaui Fludum pag. 57. Certam. dicentem tam Romanos quàm Lutheranos esse luminis occulti seu sapientiæ possessores, an hoc habeatur in Certam. an in lib. Frisij de summo bono non ausim affirmare, cùm iam non habeam ad manum libros illos. Sed perinde mihi est & semper iudicaui ea quæ dicit Frisius, dicta esse in gratiam Fludi & ad defendendam eius magiam, cabalam, alchimiam, & confraternitatem fratrum R. C. propterea enim commotus erat Mersennus in Fludum: quid iam in Antiapologia modò negat se non esse

auctorem libri qui inscribitur *summum bonum*, & à Typographo esse certamini annexum inscio Fludo modò vt pag. 26, fatetur se addidisse aliquid libro Frisij, sed quid scimus an dogma illud de religionum indifferentia sit vnum ex additis? modò pag. 59. Mersenno dicenti, *Non interest Fludi, cuius Religionis sis Romanæ, Lutheranæ, aut alterius.* Respondet hoc non inueniri in suis scriptis sed in Frisij libro qui inscribitur, *summum bonum*, & ne quidem in eo hoc inueniri sed tãtùm homines in qualibet Religionum secta esse, qui circa mysticam Dei sapientiam essentialiter versantur, & ad eandem summi illius boni metam quàm directissimè collimant, & pag. 25. ait, *Non ergo concludit Frisius quod vnus, idemque numero Theologus mysticus seu Roseæ crucianus sit cuiuslibet Religionis, sed quod alius in vna, alius verò in alia viuere possit.*

Sed quicquid dixerit Frisius, quantumuis tergiuersetur Fludus, ex dictis habetur in doctrina Fludi & Frisij quemlibet posse saluari quamcunque Religionem & fidem profiteatur: hoc enim præ se ferunt illa verba. *Homines in qualibet religionum secta esse, qui ad eandem summi illius boni metam quàm directissimè collimant.*

Igitur scopum assequuntur & salutem æternam consequuntur: & illa, *Vnus in vna, alius in alia Religione viuere potest*, puta licitè & absque detrimento animæ, ita vt nihil intersit ad salutem in qua viuat: quod autem Flud ait in

14.&17.3.& act.10.43.& ad Rom.3.22.& 10.9.& ad Gal.2.16.

Quod si te restringas ad Christianos & omnes comprehendis, quare ita præcipit D. Paulus ad Titum 3 10. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*, &c. quare fidei Symbola condita cur tot Concilia coacta? cur contra hæreticos tot Doctores & Confessores dimicarunt? nempe quia à scopo aberrant hæretici, nec habent certam regulam credendi per quam dirigantur, sed priuato Spiritu ducuntur, non sentiunt de Deo & sancta Trinitate vt par est, mysterium Incarnationis malè intelligunt.

Eludi diuerticula præcluduntur.

§. 32.

ELud paratissimus ad propugnanda ea quæ docet Frisius amicus pag. 58. fatetur quidem non debere esse in essentia nisi vnicam Ecclesiam, & vnicam Religionem, quo non obstante vult posse quemlibet in sua secta permanere & saluari: distinguit enim duplicem Ecclesiam, vna est interna & Archetypa de quâ lex Christi, quæ refertur ad mysterium Dei, hoc est ad contemplationem profundam identitatis diuinæ, & vocatur mystica, estque vnica, quatenus in sola veritate relictis contentionibus, varietatibus, & ceremonijs mundanis versatur: alia est externa, typica, politica, Mosaica,

Mosaica, quæ versatur præcipuè circa mortalitatem, & institutionem quæ debet exerceri inter homines ad cultum diuinum, spectatque ad illam Decalogi portionem, quā Christus comprehendebat in proximi amore: & super ista Ecclesia tot fundantur in mundo Religiones, scilicet Iudaica, Mahometica; tot inter Christianos sectæ vt Arriana, Papistica, Lutherana, &c. nam omnes hæ appellationes differunt solummodo vel in forma ceremoniali, vel in positionibus diuersis & variis à veritate & realitate, & in varietate interpretationis Scripturarum, cùm sit citra omne dubium, aut controuersiam, quòd non sit nisi vnica veritas, ad quam omnes istæ religionū sectæ tam zelosè collimant, & pag. 22. ait posse pro diuersa occasione aliquem, ne fratres suos offendat, se accommodare religioni eorum, & pag. 23. ait diuersas ceremonias tantùm in externo religionis versari, & ad Ecclesiam externam seu politicam pertinere, & nil facere ad internam & mysticam, quæ integra manet, non obstante diuersitate ceremoniarum, siue diuersitas ceremoniarum potest cohærere cum diuini mysterij integritate. addit cùm corpus humanum sit Ecclesia mystica, quippe quod templum dicitur Spiritus sancti, & Ecclesia Christi, quid ad istam Ecclesiam carnalem ceremoniæ externæ quæ sunt typicæ?

In hoc politici nostri discursu tot sunt ferè errata, quot verba: primò non video cur dicat

Addit Flud pag. 38. & 72. Angelos prauos ratione lapſus eorum fuiſſe quoad externum, ſiue corpus in naturam aëris groſſioris commutatos, quo magis cruciatui, & tormentis igneis redderentur obnoxij, docet ex D. Auguſtino, vbinam hoc dixerit, locum non indicat.

Duo hîc in Fludo improbanda.

§. 27.

PRimò quod pertinet ad Angeli corporeitatem, iam reiecta eſt in ſecundo ordine næuorum: & quanquam non ignorem multos Patres dixiſſe eſſe Angelos corporeos: tamen quòd Angelus circumſcripta Diuinitate in eo inhabitante ſit tantùm corpus aëreum, non exiſtimo vllum ita ſenſiſſe: ſed poſita illa opinione adhuc præter Deum, debet aſſignari aliqua pars quæ ſe habeat vt anima & interna forma quæ ſit principium vitale motus & intellectionis: non enim poteſt Deus per ſeipſum in genere cauſæ formalis obire hoc munus, vt oſtenſum eſt, negando eſſe formam informantem: tum quia ſi mente præſcindamus Deum ab Angeli propria natura, vt poſſumus, cùm ſit realiſſimè diſtinctus tanquam perſona increata à creata, quid erit Angelus niſi vilis creatura & minor quàm homo; cùm tamen ſit nobiliſſima, & in quo præcellet? Si dicas ratione inhabitantis Deitatis, contra,

cùm Deus ſit in omnibus rebus per eſſentiam, preſentiã & potentiã, & nõ ſit ſpiritualiter in creaturis intellectualibus niſi ratione effectuũ gratuitorũ ordinis ſupernaturalis, quos producit in eis, quomodo eorum eſt capax Angelus, ſi nihil ſit niſi aer? Sic quomodò Angelus erit beatus niſi habeat proprium intellectum, quo cognoſcat Deum ſicuti eſt, & voluntatem qua amet? & ſatius eſſet dare illi corpus humanum organicum ratione cuius per ſenſus poſſet rerum notitias haurire, & in hac opinione dæmon qui eſt donis gratuitis ſpoliatus, in quo tamen naturalia, vt iam dicam, integra permanſerunt, nihil erit quàm craſſus aër, quomodo ergo eſt capax exercere operationes naturales vitales?

Secundùm.

SEcundò ſi Flud dixiſſet dæmones ſolere aſſumere corpora ex aëre craſſiori, fortè ei fidem adhibuiſſemus: at probare non poſſumus quod externum Angeli (quod in opinione Fludi eſt tota & propria natura illius, cùm Deitas non poſſit eſſe illius pars, nec cum ea venire in compoſitionem) ratione lapſus ſit commutatum in aliud: alioqui quomodo verificaretur doctrina Theologica, quæ eſt, in dæmone naturalia manſiſſe integra: quæ habet ſuffragium à ſanctis Patribus vt D. Dionyſio 4. de diu. nom. & ait Iſidorus Hiſpalenſis

lib. 1. de summo bono cap. 10. *Prauaricatores Angeli etiam sanctitate amissa non amiserunt viuacem creaturæ Angelicæ sensum*: & D. Bernardus Epist. 7. versus finem ait reprobos Spiritus destitutos esse participatione gratiæ spiritalis, non tamen viuacitate industriæ naturalis, & Alcimus auitus l. 2. in Genesim carm. de peccato orig. his versibus docet naturalem perspicaciam intelligendi remansisse in dæmone & vim delegendi occulta.

Sed quod viuaces pertendit in abdita sensus,
Quodque futura videt , rerumque arcana resignat,
Angelici feruens superest natura vigoris.

Quod non fieret si eius natiuum corpus esset mutatum in crassius , nam inde impediretur cognitio, sicut corporis humani crassitas animam impedit ne ita benè res intelligat.

quoniam caliginis atræ
Obsistunt nebulæ, & mortalia lumina nobis
Et papæ tenues : caro circum atque ossa resistunt.

vt ait Orpheus apud Theodoretum 2. contra Græcos.

Accedat ratio, quia sicut per peccatum Adami substantia animæ non est passa detrimentum, nec in ea imago Dei est oblitterata, vt ostendunt Catholici contra hæreticos & præsertim contra Matthiam Illyricum qui fingit dum homo peccat, physicam transmutationem de vna forma substantiali in aliam : ita dum lapsus est Angelus, nulla facta est commutatio substantialis, & certè cùm peccatum

ſit quid morale, non habet vim phyſicè tranſformandi vnum in aliud.

Ratio aduerſarij infringitur, & Sanctus Auguſtinus ei non fauet.

§. 29.

SEd dicet Flud Deum in pœnam peccati feciſſe illam tranſmutationem. Sed cur? vt dæmon eſſet obnoxius cruciatui per ignem.

Contra, eſto corpus ſit neceſſarium, vt quid naturaliter patiatur ab igne: at non vt diuinitùs. Agit autē ignis gehennæ vt Dei inſtrumentum eleuatum ad agendum ſuprà vires: alioqui non diceret D Auguſtinus 21. de Ciu. cap. 10. *Cur non dicamus quamuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi?* non eſſet autem mirum, ſi dæmon eſſet præditus corpore aërio groſſiori, quod pateretur, tum quia dicat nobis cur ad cruciatum non ſufficiebat corpus aëreum, quod ante lapſum habebat? ſed neque dæmon ratione corporis poteſt cruciari, niſi habeat animam, quæ propter vnionem reddit corpus ſenſus capax: quod ſi habet animam & corpus, vbi eſt differentia eſſentialis inter eum & hominem? quod ſi non habet aliam animam quàm Deum, contra, Deus non poteſt habere ſympathiam cum corpore, nec ei vniri vera & phyſica vnione, quod eſt

necessarium vt corpus sentiat: tum quia sicut ex redundantia sentit anima, dũ corpus affligitur: ita Deus sentiret, & esset passioni obnoxius, quod est impium dicere.

Quod spectat ad D. Augustinum, dubius hæsit quantum ad Angeli corporeitatem: & nonne audisti iam ipsum docere posse spiritus incorporeos ab igne pati? & nusquam legi ipsum dixisse, corpus dæmonis fuisse propter lapsum commutatum: debuerat autem Flud citare locum, vbi hoc dicit, vt ei fidem adhiberemus, quod non possumus facere donec constet: maximè cùm habeamus alibi eius testimonium in contrarium nam 11 de Ciu. cap. 23. impugnans Origenem, qui voluit spiritus præuaricatores in pœnam peccati detrusos fuisse in corpus quasi in carcerem, & alligatos corporibus crassioribus, vel minùs crassis pro grauitate culpæ, arguit ad hominem dicendo dæmonem, quia grauiùs deliquit, detrudendum fuisse in corpus terreum potiùs, quàm animam, cùm tamen corpus dæmonis, si aliquod habeat, etiam de mente Origenis, sit aëreũ, vbi nihil dicit de illa commutatione corporis subtilioris in grossius: hoc enim esset accedere ad errorem Origenis, quem hac in parte sequitur Flud, vt visum est in Effigie; hæc sunt verba concepta, D. Augustini. *Videre debuit Origenes & quicumque ita sapiunt, si hac opinio vera esset, mundum ideo factum, vt animæ pro meritis peccatorum suorum tanquam ergastula, quibus pœnaliter infunderentur,*

corpora acciperent superiora & leuiora quæ minus, inferiora verò & grauiora, quæ ampliùs peccauerunt, dæmones, quibus deterius nihil est, terrena corpora, quibus inferius & grauius nihil est, potiùs quàm homines etiam malos habere debuisse: nunc verò, vt intelligeremus animarum merita non qualitatibus corporum esse pensanda, aëreum possidet pessimus dæmon: Nempè etiam de mente Origenis.

De animæ origine & regimine.
§. 29.

TRactans Fludi Psychologiam plures maculas notaui, quas hîc recognoscit Flud nec de eis erubescit.

Prima Fludi macula.

PRimò dicebam contra Fludum cum Patribus, quibus adde Theodor. 4. Therap. Æneam Gazæum in Theophrasto, animam hominis fieri è nihilo: at Flud hîc pag. 37. ait, *Quomodo, cùm anima sit ipsa vita, ex nihilo fieri dicitur?* Quæ consequentia est ita subtilis, vt non tantùm fugiat sensum, sed etiam intellectum: debuerat Flud ostendere Deum non creasse animam è nihilo, ostendendo rationem vitæ impedire. Sed fortè Flud existimat quòd cùm dicimus animam fieri è nihilo, ita intelligimus, quòd nihilum veniat in compo-

ſitionem animæ & miſceatur cum vita, ſed ſi ita ſentit, fallitur: nam volumus tantùm animam fieri è nihilo tanquam termino, & volumus excludere omne ſemen & omne præuium, ex quo tanquam ſubiecto anima extrahatur: quod eſt propriè creari vt, docet D. Auguſt. ad Oroſium cap. 2.

Secunda Fludi macula.

SEcundò dicebam animam non eſſe creatam ante corpus: Flud tenet contrarium & nominatim probat hîc pag. 72. de anima Adami, nam vt probet animam mundi productam fuiſſe ante firmamenti ſiue ſpiritus ætherei productionem, ita ſyllogizat, *Si anima Adæ creditur primo die creata, multo magis anima mundi*. Probat antecedens ex D. Auguſtino dicente, *Si non inuenitur ſcriptura, quæ contradicat, videtur dicendum animam Adæ principio cum Angelis fuiſſe creatam, & poſtmodum voluntariè ad corpus acceſſiſſe ad miniſtrandum ipſi.* Reſpondeo hîc & alibi pluries Fludi diligentiam deſiderari in citandis auctoribus, debuiſſet locum aſſignare vbi hoc dicat D. Auguſtinus, ſed hoc labore ipſum ſubleuabo. Verum quidem eſt quod D. Auguſtinus 7 de Geneſi ad literam cap. 24. ſuper hac re nihil definierit, tamen 12. de Ciu. cap. 23. ait Deum potiùs ſufflando feciſſe animam, quam iam factam communicaſſe: accedat teſtimoniū ſcripturæ,

Gen. 2.

Gen. *n*. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Quod factum est die sexto & de anima rationali intelligunt alij Patres, Tertullianus lib. de Penit. cap. 3. & lib. de an. cap. 11. & Theodoretus serm. 5. contra Græcos, postquam dixit animam nequaquam in corpus ita demissam, vt tamen antea per se subsisteret, subdit, *Neque verò intelligendum est inspirationem hanc fuisse quandam anhelitus defluxum; qui de ore Dei prodierit (incorporeus enim Deus est, idem simplex, neque compositus) sed ipsam animæ naturam spiritum esse præditum ratione & intellectu.*

Quod addit Flud animam voluntariè ad corpus accessisse, se collidit cum eo quod dicit Sect. 1. microcosmi ipsam contra voluntatem suam migrasse in corpus, incongruè etiam loquitur, cùm potiùs corpus animæ ministret vt pote eius organum, quàm è conuerso.

Tertia.

TErtiò notabam in illo istum næuũ nempe animam esse partem Dei, quod etiam notauit Gassendus qui apud Fludum pag. 66. obiicit Fludo quod dixerit animam non esse ex nihilo, sed Deo vt quodam toto lucidam particulam, cui respondet Fludus subtiliter transeundo de causa materiali ad efficientem probando animam esse ex Deo vt producente, quod est tacitè se retractare & non respondere ad mentem aduersarii, qui obijciebat

Fludo quod faceret Deum partibilem & causam materialem vt faciebant illi quos notat D. Ambrosius 2. de Spiritu sancto cap. 10. consulat lector loca quæ affero ex Fludo in effigie, & videbit vtrum velit tantum animam esse ex Deo vt producente.

Quarta.

QVartò fusè impugnaui Fludum in eo quod triplicem genium assignat homini: hic autem nihil dicit noui nisi quia pag. 19. iterum suum Achyllem opponit, nempe debere tot esse Angelos custodes quot sunt Spiritus vel portiones, quas anima vel homo participat ex triplici cœlo, empyreo, æthereo seu vitali, & elementari, & pag. 20. probat experientia (quasi verò Angelus cadat sub experientiam) istâ, quòd Spiritus in cuiuslibet natiuitate adsit bonus & rationalis, atque item malus, & naturalis seu bestialis, neminem haud ratione destitutum latere potest, cùm quandoque ad bona contemplanda, nonnunquam ad mala excogitanda & peragenda hominem eundem videamus pronum, & quia non sunt extrema absque medio, excogitat intermedium spiritum, in quo natet liberi arbitrij virtus, & qui modo sollicitetur ad bonum ab vno, modò ad malum ab alio: hæc est medulla eorum quæ dixit in Certam. & alibi.

Nunc habeo tantùm dicendum quod hoc dogma nouum est, puto tamen simile quid si bene memini, reperiri apud Agrippam in occulta Philos. secundò loquendo de ingenio & spiritu humano non debet in eodem homine in plures dissecari: nam vnus & idem pro innata libertate modò rationi consentit, modò dissentit; noui quidem præsertim à Platonicis animam diuidi in partem rationalem, irascibilem & concupiscibilem, siue primò in rationalem & rationis expertem: deinde hanc in irascibilem & concupiscibilem: noui etiam diuidi in portionem siue partem superiorem, & inferiorem, siue animum & animam, verùm hæc diuisio non est, nisi per rationem, nam eadem anima indiuisibilis habet vt corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat vt loquitur auctor lib de spiritu & anima cap. 41. & spiritus ille in quo fingitur natare libertas non potest esse medius inter partem superiorem & inferiorem, nam libertas est in supremo apice animæ in quo resident intellectus & voluntas siue appetitus rationalis, sicut appetitus sensualis residet in parte inferiori. Tandem si dantur spiritus Angelici ad regẽdos illos spiritus humanos vt sit correspondentia, sicut humanus medius neque est bonus neque malus: ita dabitur vnus Angelicus qui neque sit bonus neque malus, & ideo diuisio Angeli in bonum & malum non erit adæquata.

De vnico cultu Dei.

HÆc appono per modum coronidis: quia illa opinio, è qua itur in atheiſmum, de religionũ indifferentia eſt omnium errorum barathrum: in illa auté impugnanda ſic procedam, primò oſtendam Fludi vacillationem & tandem apertam declarationem, deinde errorem refellam, & poſtea Fludi diuerticula præcludam.

Fludi vacillatio & ad extremum aperta Manichæiſmi profeſſio.

§. 30.

FLud lapſum timens timidè procedit in hac parte, ne ab omnibus exſibiletur: in Effigie citaui Fludum pag. 57. Certam. dicentem tam Romanos quàm Lutheranos eſſe luminis occulti ſeu ſapientiæ poſſeſſores, an hoc habeatur in Certam. an in lib. Friſij de ſummo bono non auſim affirmare, cùm iam non habeam ad manum libros illos. Sed perinde mihi eſt & ſemper iudicaui ea quæ dicit Friſius, dicta eſſe in gratiam Fludi & ad defendendam eius magiam, cabalam, alchimiam, & confraternitatem fratrum R. C. propterea enim commotus erat Merſennus in Fludum: quid iam in Antiapologia modò negat ſe non eſſe

auctorem libri qui inscribitur *summum bonum*, & à Typographo esse certamini annexum inscio Fludo modò vt pag. 26, fatetur se addidisse aliquid libro Frisij, sed quid scimus an dogma illud de religionum indifferentia sit vnum ex additis? modò pag. 59. Mersenno dicenti, *Non interest Fludi, cuius Religionis sis Romanæ, Lutheranæ, aut alterius.* Respondet hoc non inueniri in suis scriptis sed in Frisij libro qui inscribitur, *summum bonum*, & ne quidem in eo hoc inueniri sed tãtùm homines in qualibet Religionum secta esse, qui circa mysticam Dei sapientiam essentialiter versantur, & ad eandem summi illius boni metam quàm directissimè collimant, & pag. 25. ait, *Non ergo concludit Frisius quod vnus, idemque numero Theologus mysticus seu Roseæ crucianus sit cuiuslibet Religionis, sed quod alius in vna, alius verò in alia viuere possit.*

Sed quicquid dixerit Frisius, quantumuis tergiuersetur Fludus, ex dictis habetur in doctrina Fludi & Frisij quemlibet posse saluari quamcunque Religionem & fidem profiteatur: hoc enim præ se ferunt illa verba. *Homines in qualibet religionum secta esse, qui ad eandem summi illius boni metam quàm directissimè collimant.*

Igitur scopum assequuntur & salutem æternam consequuntur: & illa, *Vnus in vna, alius in alia Religione viuere potest*, puta licitè & absque detrimento animæ, ita vt nihil intersit ad salutem in qua viuat: quod autem Flud ait in

Frisio non reperiri quid idem homo sit cuiuslibet Religionis puerile est, nam nec est possibile, cùm diuersarum sectarum dogmata sint diuersa & sæpe contradictoria: nec puto hoc intendisse aduersarios Fludi, nec hoc fert textus Mersenni, sed illis satis est, quòd teneat Fludus, nihil referre ad salutem siue hanc siue aliam Religionem profitearis, modo sis Theologus Mysticus, occultus & inuisibilis & Rosea cruce notatus: quod est profiteri Manichæismum vt dicebam, nam Manichæi vt referunt Hæreolologi, Religionum indifferentiam approbabant.

Vnica religio ad salutem necessaria.

§. 51.

FLud Roseæcrucianus cum suo pernicioso dogmate Mysterium Crucis euacuat, Beneficium Redemptionis pro nihilo ducit, totam scripturam sacram euertit, idololatriæ acerrimus propugnator idololatriam, & paganismum reducit, omnibus sua claue Paradisi ianuam aperit, infernum claudit.

Nos autem fatemur cum Apostolo ad Eph. 4. quod est vna fides, sine qua, vt dicitur ad Heb. 11. impossibile est placere Deo: audimus & D. Athanasium in Symbolo dicentem, *Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in*

æternum peribit, quænam autem ſint credenda poſtea declarat : audimus item D. Auguſtinum lib. 4. contra Donatiſtas c. 8. *Licet*, inquit, *quis habeat alias virtutes propter hoc ſolum, quod hæreticus eſt regnum Dei non poſſidebit.* Attendimus etiam ad id quod dicit diſcipulus Fulgentius lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 38. *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites non ſolum omnes paganos, ſed etiam omnes Iudæos, hæreticos & ſchiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.*

Hallucinaris igitur Flude dum ais quod in veritatem vnicam tendit, & collimat quælibet totius mundi Religio & quidem quàm directiſſimè: collimare quidem ſe arbitratur, ſed à ſcopo aberrat, & quod D. Paulus 1. ad Cor. 9. dicit de athletis, dico de Religionibus, omnes quidem currunt, ſed vna accipit brauium, omnes quidem naues in mundi Oceano vela faciunt, ſed extra arcam Noe & nauim Petri Naufragium.

Quod ſi tuam propoſitionem extendis etiam ad Gentiles, fruſtra Apoſtoli tot labores ſuſceperunt in diſſeminando Euangelio, fruſtra tot Martyres ſanguinem fuderunt: ſi extendis ad Iudæos, fruſtra clamat Apoſtolus, ſi circuncidamini Chriſtus nihil vobis proderit.

Fruſtra ait S. Marcus cap. 16. qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, & S. Ioannes 3.

14.&17.3.& act.10.43.& ad Rom.3.22.& 10.9.& ad Gal.2.16.

Quod si te restringas ad Christianos & omnes comprehendis, quare ita præcipit D. Paulus ad Titum 3 10. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*, &c. quare fidei Symbola condita cur tot Concilia coacta? cur contra hæreticos tot Doctores & Confessores dimicarunt? nempe quia à scopo aberrant hæretici, nec habent certam regulam credendi per quam dirigantur, sed priuato Spiritu ducuntur, non sentiunt de Deo & sancta Trinitate vt par est, mysterium Incarnationis malè intelligunt.

Fludi diuerticula præcluduntur.

§. 32.

Flud paratissimus ad propugnanda ea quæ docet Frisius amicus pag. 58. fatetur quidem non debere esse in essentia nisi vnicam Ecclesiam, & vnicam Religionem, quo non obstante vult posse quemlibet in sua secta permanere & saluari: distinguit enim duplicem Ecclesiam, vna est interna & Archetypa de qua lex Christi, quæ refertur ad mysterium Dei, hoc est ad contemplationem profundam identitatis diuinæ, & vocatur mystica, estque vnica, quatenus in sola veritate relictis contentionibus, varietatibus, & ceremonijs mundanis versatur: alia est externa, typica, politica, Mosaica,

Mosaïca, quæ versatur præcipuè circa mortalitatem, & institutionem quæ debet exerceri inter homines ad cultum diuinum, spectatque ad illam Decalogi portionem, quã Christus comprehendebat in proximi amore: & super ista Ecclesia tot fundantur in mundo Religiones, scilicet Iudaica, Mahometica; tot inter Christianos sectæ vt Arriana, Papistica, Lutherana, &c. nam omnes hæ appellationes differunt solummodo vel in forma ceremoniali, vel in positionibus diuersis & variis à veritate & realitate, & in varietate interpretationis Scripturarum, cùm sit citra omne dubium, aut controuersiam, quòd non sit nisi vnica veritas, ad quam omnes istæ religionũ sectæ tam zelosè collimant, & pag. 22. ait posse pro diuersa occasione aliquem, ne fratres suos offendat, se accommodare religioni eorum, & pag. 23. ait diuersas ceremonias tantùm in externo religionis versari, & ad Ecclesiam externam seu politicam pertinere, & nil facere ad internam & mysticam, quæ integra manet, non obstante diuersitate ceremoniarum, siue diuersitas ceremoniarum potest cohærere cum diuini mysterij integritate: addit cùm corpus humanum sit Ecclesia mystica, quippe quod templum dicitur Spiritus sancti, & Ecclesia Christi, quid ad istam Ecclesiam carnalem ceremoniæ externæ quæ sunt typicæ?

In hoc politici nostri discursu tot sunt ferè errata, quot verba: primò non video cur dicat

tot sectas fundari super Lege & Ecclesia Mosaica, quasi verò tot hæreses quæ fuerunt & sunt adhuc, non sint ortæ ex Euangelio malè intellecto.

Secundò cur dicat sectas differre tantùm in forma ceremoniali, cùm differant in religionis essentialibus, capitibus & articulis fidei quæ est vera, & diuina sapientia, & sine qua nemini contingit salus. Differunt item tam in obiecto materiali fidei, quàm formali, cùm nec eadem credant, nec eodem motiuo: an secta Iudaica & Mahometana differt tantùm à Religione Christiana in forma ceremoniali, cùm illa non credat in Christum, non admittat baptismum, sine quo vel in re suscepto, vel in voto, non est salus? an differt secta Ariana ab aliis in solis ceremoniis, cùm teneat filium Dei esse creaturam? percurre varias sectas & videbis differre in punctis fidei essentialibus.

Tertiò seipsum iugulat dum ait differre in positionibus diuersis & variis à veritate & realitate, & consequenter, cùm non sit nisi vnica veritas, vt ibidem ait, non potest reperiri nisi in vnica religione: cùm enim diuersæ sectæ habeant dogmata contradictoria, non possunt simul vera esse, & proinde necesse eos qui amplectuntur sectam, in qua est error, excidere à veritate & salute.

Quartò etiam contra se militat, dum ait differre in varietate interpretationis Scripturarum. Sed vndè oriuntur hæreses & falsæ se-

ctæ, nisi quia Scripturæ bonæ non intelliguntur bene. & ita vnum, vel vnus apex, siue interfunctuario potest inducere hæresim.

Quintò Flud existimat posse aliquem fingere suam religionem (quod facere Gassendum alicubi dicit) & hoc ne offendiculum ponat fratribus, & sic successiuè pro tempore poterit vnius religionis ceremonias amplecti, modò alterius: quod si seorsim, posset etiã simul, cùm in opinione Fludi nihil intersit ad salutem in qua religione viuas, quòd est accedere ad hæreticos & nominatim Priscillianistas, qui dicebant licitum esse negare veram fidem, & falsam profiteri etiam cum mendacio & peiurio vt refert D. Aug. hæresi 70. citans hoc illorum dogma *iura, periura, secretum prodere noli*. est enim familiare illis qui volunt aliquod dogma nouum & perniciosum introducere, vt à sectariis exigant Sacramentum non prodendi secreta Religionis & negotij perambulantis in tenebris, quod fertur de Inuisibilibus, qui nullum volunt admittere in consortium nisi se totum dedat illis, antequam vllum mysterium ei detegatur. Pariter Roseæcruciani sua secreta velant nebula allegoriæ. Ex his iam probè intelligo, quare vnus ex libris illorum dicatur Proteus: nam & in materia & negotio Religionis vulgares versus probant, quod properam intendit.

Cùm fueris Romæ Romano viuito more.
Cùm fueris alibi viuito sicut ibi.

Sextò non capio quomodo corpus exter-

num, carnale & visibile vocet Ecclesiam mysticam & internam, & quomodo dicat ceremonias externas nihil pertinere ad corpus siue Ecclesiam carnalem, cùm homo constet corpore & anima, & debeat tam cultu externo, quàm interno protestari Deum esse supremum Dominum, & corporis, & animæ.

Conclusio Appendicis, & totius Effigiei.

HÆc habui quæ de Fludo proferrem ea præsertim inretione, ne quis in foueam cadat, & sordibus se inquinet. Quare concludo verbis D. Cyrilli Hierosol. Catechesf. 6. in simili, ***Polluimur ista dicentes, ne autem aliquis eorum, qui adsunt, exignorantia in sordes eiusmodi hæreticorum incidat, etiamsi & os meum, & auditorum aures polluam, tamen id confert: multò enim melius est accusandis & reprehendendis alijs audire absurda, quàm ex inscitia in eadem incidere.***

F I N I S.

